Luebbert, Eduard
De poesis Pindaricae in archa et sphragide componendis arte

INDEX SCHOLARVM

QVAE

SVMMIS AVSPICIIS

REGIS AVGVSTISSIMI

G V I L E L M I

IMPERATORIS GERMANIAE

IN

VNIVERSITATE FRIDERICIA GVILELMIA RHENANA

PER MENSES HIBERNOS ANNI CIƆIƆCCCLXXXV—LXXXVI

A DIE XV MENSIS OCTOBRIS

PVBLICE PRIVATIMQVE HABEBVNTVR

Inest EDVARDI LVEBBERTI *commentatio de poesis Pindaricae in archa et sphragide componendis arte.*

BONNAE

TYPIS CAROLI GEORGI VNIV. TYPOGR.

RECTOR ET SENATVS

VNIVERSITATIS FRIDERICIAE GVILELMIAE RHENANAE

CIVIBVS

S.

1. Planctum de Aeginae interitu negatum ab historico poetam explevisse. Carmen Pyth. VIII vaticinium est de Aeginae casu imminenti.

Notum est, Aeginam insulam quondam florentissumam, heroum matrem, artium et mercaturae altricem, iustitiae portum, anni 456 a. Chr. aestate post trium annorum obsidionem ab Atheniensibus ad deditionem compulsam et tributo imposito opibus et ornamentis suis spoliatam esse. Neque is finis miseriarum fuit. Viginti quinque annis post atroci Atheniensium decreto Aeginetae cum coniugibus et liberis ex insula sua decedere coacti sunt. Refert de his fatis marmorea illa, qua excellit, brevitate Thucydides, rem multarum lacrimarum et infiniti luctus in pauca hercle verba conferens, primum de deditione, Thuc. 1, 108: ὡμολόγησαν δὲ καὶ Αἰγινῆται μετὰ ταῦτα τοῖς Ἀθηναίοις τείχη τε περιελόντες καὶ ναῦς παραδόντες φόρον τε ταξάμενοι ἐς τὸν ἔπειτα χρόνον. Deinde de patria amissa 2, 27: ἀνέστησαν δὲ καὶ Αἰγινήτας τῷ αὐτῷ θέρει τούτῳ (431 a. Chr.) ἐξ Αἰγίνης Ἀθηναῖοι αὐτούς τε καὶ παῖδας καὶ γυναῖκας, ἐπικαλέσαντες οὐχ ἥκιστα τοῦ πολέμου σφισιν αἰτίους εἶναι. Atque recte fortasse ille ut historicus, qui res gestas conscribere, non hominum lacrimis et questibus historiae folia implere destinavisset. Sed quae historicus omisit, vates et poeta, pectoris intimi arcanorum interpres, qui humana humanitus aestimaret, cumulate explevit. Est enim carmen quoddam Pindari, Pyth. VIII, in quo extremos ille occidentis Aeginetarum solis radios collegit et immortalitati consecravit.

Carmen scriptum est in Aristomenem, Xenarcis filium, puerum Aeginetam, qui in luctae certamine Pythia vicerat. Ea victoria paucis annis ante extremam illam obsidionem

coeptam evenerat. Quod enim scholiasta refert, Aristomenem Pythiade XXXV (Ol. 82, 3 = 450 a. Chr.) vicisse, Schol. Pind. p. 394 med.: Ἀριστομένει ... παλαιστῇ νικήσαντι τὴν λε' Πυθιάδα, gravis in numero error est. Nam quemadmodum omnia in hoc carmine, ut ante cladem id compositum putemus, suadent, ita omnia, ne post cladem scriptum opinemur, dissuadent. Probabilissumum est, Aristomenis victoriam Pythiis proximis ante cinctam ab Atheniensibus Aeginam attribuendam esse, hoc est Pythiadi XXXII (Ol. 79, 3 = 462 a. Chr.). Itaque apud scholiastam scribendum est: νικήσαντι τὴν λβ' Πυθιάδα. quod iam, quamquam haud probabili ratiocinatione fretus, C. O. Mueller, Aeginetica p. 178 coniecerat, probante Boeckhio ad Pindari scholia p. 394 not. 7, qui postea sane in Explicat. ad Pind. p. 308 invita, opinor, Minerva sententiam retractavit. Florebat igitur eo ipso etiamtunc anno Aegina, atque vel haec Aristomenis victoria, quam strenua in eius insulae palaestris iuventus succresceret, luculento documento ostenderat. Sed pulcherrimo illi flori acerba iam Mors quasi manum, ut ad se illum vindicaret, iniecerat. Noverat Pindarus ingentes Atheniensium, ad summa enitentium, spiritus, noverat, quid esset, hanc urbem aemulam habere. Accedebat, quod illo tempore Aegina intestinis discordiis continuis flagrabat et dilacerabatur. Schol. Pind. p. 394 ad v. 3: ἰδίᾳ τοῖς Αἰγινήταις ἦσαν στάσεις περὶ τὸν τῆς νίκης τοῦ Ἀριστομένους καιρόν. Haec omnia tristi praesagio animum poetae impleverunt. Quamquam igitur eo ipso tempore nihil dum eorum, quae animus augurabatur, re vera evenerat, tamen extremae illius diei iam imago ei obversabatur, quo Aeginae filiis, viris fortissimis et amicissimis, pro aris et focis dimicandum foret.

2. Tantum abest, ut artificiosa carminum compositio sensus fucatos prodat, ut dicendum potius sit: *summus animi dolor summus artifex.*

Hunc igitur in modum Pindari voce et ore Musae Aeginam defleverunt. Fama est, olores, ubi fata vocent, dulcibus lugubribusque cantibus aërem perfundere: eorum cantuum hoc carmen simile est. Non sunt illa altae vocis magnique clamoris querelae, quibus Pindarus amicorum fata luxerit. Immo uni soli querimoniae locum concessit, illi uni, quae ex intimo totius hominum generis pectore profluxit, quae et vetustissima est eademque quotidie recens: *omnia humana vana.* Hanc ille elegit, quam carmini suo, quo Aeginae fata suprema planxit, tanquam animam inflaret, v. 92: ἐν δ'ὀλίγῳ βροτῶν || τὸ τερπνὸν αὔξεται· οὕτω δὲ καὶ πιτνεῖ χαμαί, || ἀποτρόπῳ γνώμᾳ σεσεισμένον. || ἐπάμεροι· τί δέ τις; τί δ' οὔ τις; σκιᾶς ὄναρ || ἄνθρωπος. Unum tamen oblitus non est, quod solatii loco adiceret: *Deus est robur nostrum:* ἀλλ' ὅταν αἴγλα διόσδοτος ἔλθῃ, || λαμπρὸν φέγγος ἔπεστιν ἀνδρῶν καὶ μείλιχος αἰών.

Iam vero mirum fortasse accidet, cum dixero, hoc carmen Pyth. VIII formae subtilitate et compositionis varietate elaboratissumum et elegantissumum esse. Nam exaudire

iam mihi videor obtrectatorum Pindari susurros, qui dicturi sint: eum poetam, qui tantum operae et sudoris in forma carminum concinnanda et ad unguem expolienda insumpserit, non verum et germanum in pectore dolorem percepisse, sed fucatos et simulatos affectus prae se ferre, inani verborum tinnitu tumidum. — Sed apage istam suspicionem! — Quis unquam lusciniam, quod artificiosissume canat, pro simulatrice calumniatus est? Immo sic statuendum: tantum abest, ut Pindarus fingendo et simulando dolori operam dederit, ut dolor ille et maeror de dilectissimae insulae fatis ingruentibus in visceribus eius haerens pro cibo et nutrimento ei fuerit, ut ex eo dolore dignum in modum exornando et excolendo solatium sibi et dulcedinem ceperit. Nam hoc profecto maxume ad se pertinere arbitratus est, ut provideret, ne tanta virtus sine Musarum et carminum laude aeterno silentio et nocte premeretur, sed ut monumento aliquo ad posteritatem constaret, generosa illa in Aeacidarum insula pectora pro summis palladiis suis strenue dimicasse, eadem fatorum legi inexorabili succubuisse.

3. De nomorum compostionis stili quadam varietate. In Aegineticis carminibus Omphalus minoris ponderis est, quod in carmine Py. VIII. demonstratur.

Carmen Pyth. VIII magna arte compositum esse facile vel is sentiat, qui haud operoso studio, primoribus tantum, quod aiunt, labris summatim id gustaverit. Compositionis genere et stilo in eo usus est Pindarus satis prisco. Quamquam enim omnia eius carmina nomorum antiquorum Terpandri normam et legem in universum sequuntur, tamen magna est in ea ipsa forma diversitas, atque aetates etiam immutatae plus minusve nomorum formae distingui possunt. Sunt carmina, in quibus omphalus principatum haud dubie tenet, sunt alia rursus, in quibus archae vel sphragidi plus dignitatis inest. Atque in ea quidem epiniciorum arte, quae in insula Aegina colebatur, omphalo carminum tanta auctoritas fuisse non videtur. Si quaeras, cur id factum sit, res ipsa indicium facit: semper in eis cantibus sollemni et tralaticio usu, a quo recedere fas non esset, Aeacidae laudandi erant. Carmen Pyth. VIII in hac certe re Aegineticae artis normam imitatur, quod omphalus, licet eximius et pulcherrimus sit, tamen minime totius carminis summum pondus obtinet. *Omphalus* enim, v. 35—56 (Ἀμφιάρηος), fabulam mythicam continet ex Epigonorum ad Thebas rebus gestis. Amphiaraus vaticinatur de felici Epigonorum expeditionis exitu: ipsius filium Alcmaeonem in Thebarum expugnatione eum futurum esse, qui omnium primus in Cadmi muros irrumpat. v. 45: θαέομαι σαφὲς || δράκοντα ποικίλον αἰθᾶς Ἀλκμᾶν᾽ ἐπ᾽ ἀσπίδος || νωμῶντα πρῶτον ἐν Κάδμου πύλαις. Eius omphali sine dubio hoc est consilium, ut luculenter in filiis patrum virtutem renasci et ut veram virtutem avitam, patritam, ingenitam esse ostendatur: v. 43: ὧδ᾽ εἶπε μαρναμένων· || φυᾷ τὸ γενναῖον ἐπιπρέπει || ἐκ πατέρων παισὶν λῆμα. Hoc omphali praeceptum caput sane carminis non continet, immo partem tantummodo summae cuiusdam, quae per totum carmen effusa est,

sententiae; nam hoc quoque artificium est nonnullorum carminum, ut una quaedam et continua summa sententia per varia carminis membra pedetemptim progrediendo atque aliud ex alio eliciendo explicetur.

4. Carminis Pyth. VIII summa sententia. — Cur in Omphalo Pindarus pro heroe Aeginetico Thebanum, Amphiaraum, substituerit.

Haec multo etiam clarius adparebunt, si nunc *summum illud praeceptum*, quod per totum carmen Pyth. VIII, tanquam anima per corpus suum, sparsum est, quale sit, accuratius definierimus. Est autem hoc. *Nullum est proprium hominum robur; omne robur nostrum deus est.* Ac primum omnino furor est, suis viribus fretum adversus deos coniti, quod Gigantum exemplo demonstratur (v. 8—18). Egregium contra pignus roboris divini hominibus commissi hoc est, cum in familiis, prisca nobilitate et virtute insignibus, ab avis et atavis ad nepotes ingenita fortitudo propagatur. Hoc in omphalo cum ipsius Aristomenis pueri, tum inprimis Alcmaeonis, Amphiarai filii, exemplo illustratur (v. 35—56). Iam hunc in modum pergitur: Sunt qui dicant, felicitatem et triumphos hominum ipsorum astutia, machinis, negotiosa sedulitate parari (v. 73—75). Nae ei magnopere falsi sunt. Deus pro arbitrio suo vel pro inenarrabili illa, qua pollet, sapientia aut sursum homines tollit aut deorsum trudit (v. 76—77). Omnia humana infirma, fallacia, fragilia. Brevissimo tempore humanae felicitatis flos decerpitur, decutitur (v. 88—96). Sed ne hoc quidem tale est, ut omni solatio careat. Nam licet nihil in rebus humanis firmum et stabile sit, dei amore provisum est, ut suo tempore necopinatae laetitiae tanquam lux e tenebris effulgeant (v. 96—97).

In hac cogitatorum serie omphalum (v. 35—56) non caput esse, sed unum quoddam vel ex humilioris officii membris, universo ordini subiectum, quis non intellegat? Atque hoc ipsum illud est, quod Aegineticae epiniciorum arti supra diximus proprium et peculiare videri. Atque huic nostrae de Aeginetico huius carminis stilo sententiae minime res quaedam obstat, quae primo adspectu magni momenti et satis gravis videri possit: Pindarum in omphali fabula eligenda a sollemni illo et consecrato quasi more recessisse: pro Aeacidarum fabula aliqua, qualem usus Aeginetarum requirebat (Isth. V, 20), Amphiarai vaticinium substituit ex Epigonorum carmine sumptam; conf. Welckerum, de Cyclo epico II, 381. Sed haec quae videtur esse legum contemptio et neglectio, in hoc carmine, illis temporibus composito, egregie excusatur. Pindarus suae urbis patriae Thebarum herois venerandam imaginem eo consilio inseruit, ut in Aeginetarum rebus dubiis, quam arcto amicitiae et cognationis vinculo Thebae cum Aegina coniunctae essent, significaret. De Theba heroina et Aegina sororibus notissuma res est cum ex Pindari locis plurimis (Ol. VI, 84; Isthm. VII, 17), tum ex Herodoto V, 80. Pindarus igitur gratissimum se facturum Aeginetis iure suo opinatus est, cum herois et vatis et bellatoris

optimi, Amphiarai, in urbe socia et cognata culti (Pind. Nem. X, 8), loco carminis tam conspicuo mentionem iniceret. Fuit profecto haec modesta et pia illorum saeculorum sentiendi et cogitandi ratio, ut hereditaria in Amphiarao et Alcmaeone virtus cum Aegineticae cuiusdam familiae virtute hereditaria comparata iam satis esset ad imaginem benevolentiae et tutelae, qua heroes illi Aeginetas prosequerentur, excitandam.

5. Carminis Py. VIII Sphragidem ipsam rursus secundum legem mesodicam, minutioris nomi instar, compositam esse.

Et huius quidem benevolentiae heroum Thebanorum, quam in omphalo Pindarus tectius significaverat, apertius etiam indicium in *Metaeatatropa* memorat *Pyth. VIII, 56—60.* Narrat ibi: cum nuper Delphos ad ludos Pythios spectandos proficisceretur, in itinere Alcmaeonem obviam sibi factum, (incertum, num in somnio, an oraculo edito,) et de victoria Aristomenis futura vaticinio edito certiorem sese fecisse. Hoc quoque spectat ad praesentissumam illam deorum opem, cuius cotidiana experientia robur nostrum firmare et, ut ita dicam, medullitus corroborare possit. Sed carminis Pyth. VIII ponderosissimae haud dubie sententiae in *Sphragide v. 61—97* proponuntur, quam eximia arte et amantissimo studio poeta composuit. *Hac sphragide nervi carminis continentur;* in hac parte Pindarus intimos sensus de rebus humanis et fortunarum humanarum divina gubernatione profitetur. Non nostra, hominum, est vis, qua quidquam pollemus, sed id omne deorum est donum. Sphragis hanc compositionis legem sequitur, ut ipsa, sicut totum carmen, mesodica rursus sit et minutior quidam nomus; *constat enim quinque partibus,* quarum una media est, mesodus; e quattuor reliquis duae ante mediam partem positae sunt, duae eam excipiunt. *Media sphragidis pars v. 78—87* laudem victoris Aristomenis continet; enarrantur eius victoriae eum in modum, ut si cui unquam iusta gloriandi caussa fuerit, eum Aristomenem esse praedicetur; inest misericors paene adversariorum devictorum mentio v. 85: οὐδὲ μολόντων παρ' ματέρ' ἀμφὶ γέλως γλυκὺς || ὦρσεν χάριν· κατὰ λαύρας δ'ἐχθρῶν ἀπάοροι || πτώσσοντι, συμφορᾷ δεδαιγμένοι. Egregia igitur in Aristomene virtus et singulare robur eminuit.

6. De binis Sphragidis partibus et ante et post mesodum.

Iam si *binas illas partes,* quae et antecedunt mesodum et sequuntur, accuratius contemplemur, facile apparet, quanto cogitatorum pondere excellant. Priores duae partes earum victoriarum et triumphorum veram originem explicant, cum posteriores gravissimum praeceptum: non nimium huic fortunae fidendum esse, illustrent. Id iam singillatim percensendum. *Prima* igitur *pars v. 61—72* precationem continet ad Apollinem conver-

sam, cui, sicut ceteris quoque dis immortalibus, futura Midylidarum familiae fata poeta commendat, v. 70: κώμῳ μὲν ἀδυμελεῖ Δίκα παρέστακε· θεῶν δ' ὄπιν | ἄφθιτον αἰτέω, Ξέναρκες, ὑμετέραις τυχαῖς. In *altera parte v. 73—77* generalis quaedam eaque praestantissima inest sententia. Volgus hominum, si quis rebus strenue gestis et victoriarum splendore ex multitudine eminet, eum sua id dexteritate, machinis, callido rerum usu assecutum arbitratur. Quod longe secus est. Haec omnia deus gubernat, qui tanquam pilis ludens homines sursum deorsum iactat, v. 76: τὰ δ' οὐκ ἐπ' ἀνδράσι κεῖται· δαίμων δὲ παρίσχει, | ἄλλοτ' ἄλλον ὕπερθε βάλλων, ἄλλον δ' ὑπὸ χειρῶν. Postremarum duarum sphragidis partium v. 88—97 ea est vis, ut deorum illa dona quovis tempore non minus celeriter, quam donentur, adimi etiam posse demonstretur. Omnis humana fortuna fallax est. Atque in *paenultima* quidem *parte v. 88—92* (μέριμναν) iuvenilem animum nulla etiamtunc experientia edoctum, blanda spe elatum atque sempiterna haec sibi fore somniantem poeta venuste carpit v. 88: ὁ δὲ καλόν τι νέον λαχὼν | ἁβρότατος ἔπι, μεγάλας || ἐξ ἐλπίδος πέταται || ὑποπτέροις ἀνορέαις. Addit ad mitigandam culpam poeta: ac nobilissimum quemque maxume cupere, non immerenti haec sibi obtingere, sed persuasum sibi habere, non nisi flagranti studio et acri cura haec bona impetrari et conservari posse; v. 91: ἔχων κρέσσονα πλούτου μέριμναν. Denique in *postrema* sphragidis *parte v. 92* (ἐν δ' ὀλίγῳ) *—97* illud, quod summum totius carminis praeceptum est, sublimi voce enuntiatur: Non est quod humanae felicitati fidendum sit. Omnis fortuna humana semper fragilis et fallax est. Quae di mutua dederunt, quovis horae momento reposcere possunt. Quid quisquam est? quid non est? Umbrae somnium homo. Sed cum ita sit, tanto gratius accidere oportet, cum ita evenit, ut deorum beneficio necopinatus splendor nobis affulgeat; v. 95: ἐπάμεροι· τί δέ τις; τί δ' οὔ τις; σκιᾶς ὄναρ || ἄνθρωπος. ἀλλ' ὅταν αἴγλα διόσδοτος ἔλθῃ, || λαμπρὸν φέγγος ἔπεστιν ἀνδρῶν καὶ μείλιχος αἰών.

7. Quattuor circa Mesodum partes argumento quoque sibi respondere. Compositionis ratio ea est, ut in Sphragide demum summum carminis consilium compareat.

Sphragidis igitur totius compositionem ut in uno iam conspectu ponamus, membrorum eius haec est ratio: Ante mesodum pars prior v. 61—72; pars posterior v. 73—77. Mesodus v. 78—87. Post mesodum pars prior v. 88—93 (μέριμναν); pars posterior v. 92 (ἐν δ' ὀλίγῳ) —97. Sententiarum quoque in sphragide egregia est concinnitas et symmetria. Nam proxima ante mesodum et proxima post mesodum argumento ipso pulcherrime sibi respondent; earum utraque falsas hominum de humana felicitate aestimanda et diiudicanda opiniones carpit. Prior imperitae multitudinis et volgi turpem quendam et illiberalem errorem castigat; altera iuventutis generosae et nobilis iuvenilem errorem corrigit venia et excusatione dignum. Nec minus bene prima et extrema sphragidis pars competunt; in prima exponitur: deos esse, qui omnia largiantur; in extrema: deos omnia

quae largiti sint, adimere posse; non esse quod sua vel vi vel sapientia homines se iactent et glorientur. In sphragide igitur maxume conspicuus est altus ille luctus et maeror, quo Aeginetarum, amicissimorum suorum, fortunas etiamtunc florentes poeta humanorum rerum gnarus intuebatur. Videbat Pindarus amoris illa acie, quae venientia amicorum mala ut praesentia cernit, haud procul abesse illum diem, quo splendor ille dilectissimae civitatis in cineres et pulverem collapsurus esset.

Iam veteres critici hanc insignem in Pindaro tristitiam et austeritatem admirati sunt, nec cur in epinicio carmine tam gravibus sinistrisque verbis fortunarum humanarum infirmitatem conquestus sit, rationem idoneam invenire potuerunt. Itaque ut erant illi proniores ad vituperandum, quam ad verum operose investigandum, poetam sapientissumum officio suo haud satis apte functum arbitrati sunt; Schol. ad Pind. Pyth. VIII, 136 p. 400 init.: ἐπιμέμφονται δέ τινες τῷ Πινδάρῳ, ὅτι ἐγκώμιον γράφων θρηνεῖ τὸν ἀνθρώπινον βίον. Finitur denique carmen brevi *Exodo v. 98—100*, qua poeta Aeginam deam et heroes Aeginetarum patrios precatur, ut insulam libero et felici cursu per fatorum fluctus ferri patiantur; v. 98: Αἴγινα, φίλα μᾶτερ, ἐλευθέρῳ στόλῳ || πόλιν τάνδε κόμιζε Δὶ καὶ κρέοντι σὺν Αἰακῷ || Πηλεῖ τε κἀγαθῷ Τελαμῶνι σύν τ' Ἀχιλλεῖ.

8. De carminis Pyth. VIII Archae structura bipartita.

Explanatis igitur eis carminis Pyth. VIII partibus, quae post omphalum sunt, nunc ad priores nos carminis partes, Prooemium, Archam, Catatropam, convertamus, quas ipsas quoque arte elegantissuma et subtilissima compositas videbimus. Adhibuit autem Pindarus in archa potissumum conformanda rariorem quandam et priscam magis speciem, ut totum hoc carmen ad veteris poesis lyricae historiam et stili artem cognoscendam gravissimum maxumeque fructuosum esse appareat. Atque *Catatropa v. 29—34* quidem facilis est ad definiendum; est enim in eo catatroparum genere, in quo poeta cursum in archa institutum *abrumpit*, tanquam nimia in illa materia rerum copia suppetat. Itaque ne fastidium oriatur, digrediendum et ad praesentem potius victoriae laetitiam animum convertendum esse. Pyth. VIII, 29: εἰμὶ δ' ἄσχολος ἀναθέμεν || πᾶσαν μακραγορίαν || λύρᾳ τε καὶ φθέγματι μαλθακῷ, || μὴ κόρος ἐλθὼν κνίσῃ. τὸ δ' ἐν ποσί μοι τράχον || ἴτω τεὸν χρέος. ὦ παῖ, νεώτατον καλῶν || ἐμᾷ ποτανὸν ἀμφὶ μαχανᾷ. Deinde *Archa v. 8—28* imaginibus grandibus et illustribus, sed horrorem etiam incutientibus referta est. Adumbrat poeta paucis, sed ingentis roboris lineis Typhois et Gigantum adversus deos immortales rebellantium consceleratos conatus. Oculis nostris incomparabilis illa pugna obversatur, qua regem Gigantum, Porphyrionem, sublimis coeli et deorum Rex fulgure in Tartarum praecipitat, qua sagittis suis Apollo hostes consceleratos configit; v. 15: βία δὲ καὶ μεγάλαυχον ἔσφαλεν ἐν χρόνῳ. || Τυφὼς Κίλιξ ἑκατόγκρανος οὔ νιν ἄλυξεν, || οὐδὲ μὰν βασιλεὺς Γιγάντων· δμᾶθεν δὲ κεραυνῷ || τόξοισί τ' Ἀπόλλωνος. Sed idem Apollo, tam atrox et tremendus

hostibus suis, benignissimum se Aeginae praebuit; nec immerito; nam haec insula, iustitiae studiosissima, praestantissimorum et heroum altrix est et virorum, v. 25: πολλοῖσι μὲν γὰρ ἀείδεται | νικαφόροις ἐν ἀέθλοις θρέψαισα καὶ θοαῖς || ὑπερτάτους ἥρωας ἐν μάχαις· || τὰ δὲ καὶ ἀνδράσιν εμπρέπει.

9. In Archa huius carminis artificiosius exornanda priscum Terpandricae artis exemplum valuisse. Posteriorem illam Archae partem (Aeginae decora) specimen esse *merae genuinaeque Metarchae.*

Huius igitur carminis Pyth. VIII archae duo aperte sunt argumenta, quae aptissume quidem et elegantissume media illa Apollinis mentione inter se coniuncta sunt, quae tamen natura sua plane diversa esse apparet; in priore enim v. 8—20 de Gigantum adversus Iovem seditione agitur; in altero v. 21—28 de Aeginae laudibus. Quare haec quidem Archa compositionis bipartitae indubitatum exemplum praebet. Iam recordandus est locus notissimus et eruditorum disputationibus celebratissimus apud Pollucem IV, 66 de Nomi Terpandrici partibus. Ibi post archam sequitur μεταρχά. Poll. IV, 66: μέρη δὲ τοῦ κιθαρῳδικοῦ νόμου, Τερπάνδρου κατανείμαντος, ἑπτά· ἀρχά, μεταρχά κτλ. conf. Bergkium, Hist. Litt. Graec. II (Berol. 1883), p. 211. Quae si reputes, nihil quidquam verisimilius est, quam in hac altera archae carminis Pyth. VIII parte v. 21—28 exemplum nos *germanae sinceraeque Metarchae* tenere. Quare hoc carmen sane egregium est priscae artis specimen, in quo et sphragidis formam mesodicam, quinque partibus ad symmetriam compositis, supra invenerimus et metarcham archae subiectam nunc videamus. Hoc postremum minime dubium est quin ad artis Terpandricae vim et auctoritatem revocandum sit, quae diu posterioribus etiam saeculis ipsa vetustate venerabilis viguit.

10. Fabulam in Archa de Gigantum excidio ad intestina apud Aeginetas factionum certamina spectare. De quarta semper in Doriensium civitatibus incolarum indigenarum tribu.

His stabilitis quaerendum nunc est, cur in archa de Gigantibus adversus Iovis regnum seditionem molientibus deque eorum supplicio Pindarus egerit; nam primo adspectu mirum hercle videri hoc possit, nec statim apparet, quomodo haec imago cum totius carminis summa, qualem supra definivimus, sententia conveniat. Ac lux quidem huic loco ex Aeginae historia peti potest. Aeginae iam ab antiquissimis temporibus factio quaedam fuit nobilitati infesta et adversa. Nobiles gentes originis Doricae erant; eae enim tempore illo, quo Heraclidae totam paullatim Peloponnesum invasisse dicuntur, ab Epidauro in Aeginam traiecerunt et incolis vetustioribus subiectis regnum Doricum

et instituta Dorica stabilierunt. Locuples huius rei Pausanias testis est II, 29, 5: μοῖρα Ἀργείων τῶν Ἐπίδαυρον ὁμοῦ Δηϊφόντῃ (is vetus est Epidauriorum rex, Paus. II, 26, 2) κατασχόντων διαβᾶσα ἐς Αἴγιναν καὶ Αἰγινήταις τοῖς ἀρχαίοις γενόμενοι σύνοικοι, τὰ Δωριέων ἤθη καὶ φωνὴν κατεστήσαντο ἐν τῇ νήσῳ. cf. Herod. VIII, 46. Nomen quoque ducis, qui coloniae illi praefuit, traditur: Triacon; Schol. Pind. Ol. VIII, 38 p. 194: ἐν τούτοις Τριάκων τις Ἀργεῖος συλλέξας πλῆθος Ἀργείων . . . εἰς τὴν Αἴγιναν ἦλθεν καὶ κατῴκισεν, ita locum recte scribi iubet C. O. Mueller, Aeginetica p. 43. cf. Tzetzen ad Lycophr. 176 p. 450 ed. C. G. Mueller. Et haec quidem colonia Epidauriorum Aeginetica per longum tempus in metropolis ditione fuit, cuius rei documentum gravissimum hoc est, quod Aeginetae in litibus suis iuris civilis diiudicandis Epidaurum adire et apud iudices Epidaurios iura et dare et accipere consueverant; Herod. V, 83: τοῦτον δ' ἔτι τὸν χρόνον (quod de Olympiade LX O. Muellerus acutissime interpretatur, Aeginet. p. 73 extr.) καὶ πρὸ τοῦ Αἰγινῆται Ἐπιδαυρίων ἤκουον, τά τε ἄλλα καὶ δίκας διαβαίνοντες ἐς Ἐπίδαυρον ἐδίδοσάν τε καὶ ἐλάμβανον παρ' ἀλλήλων οἱ Αἰγινῆται.

Dorienses in Aegina occupanda etsi vetustiores incolas dominationi suae subiecerant, tamen aliquam eis in rebus publicis partem haud dubie, eadem ratione, qua in aliis civitatibus Dorii utebantur, concesserant. Quare praeter Doricas tribus sollemnes, Hyllenses, Pamphylos, Dymanes, quartam fuisse, quae antiquiorem populum complecteretur, admodum probabile est. Eodem modo apud Sicyonios quarta tribus fuit Aegialensium, Herod. V, 68: μετέβαλον ἐς τοὺς Ὑλλέας καὶ Παμφύλους καὶ Δυμανάτας, τετάρτους δὲ αὐτοῖσι προσέθεντο . . . Αἰγιαλέας. Apud Phliasios quartae tribui nomen Chthonophylae fuisse videtur. Chthonophyla uxor est Phliantis, Bacchi filii, vetustissimi apud Phliasios regis; Paus. II, 12, 6: τοῦ δὲ Φλίαντος Ἀραιθυρέαν εἶναι μητέρα . . . Χθονοφύλην δέ οἱ συνοικῆσαι, καὶ Ἀνδροδάμαν γενέσθαι Φλίαντι ἐξ αὐτῆς. Apud Schol. ad Apoll. Rhod. 1, 115 Phlius filius est Bacchi et Chthonophylae. Hanc heroinam ex ipso veterum incolarum nomine fictam esse, ingeniose conicit O. Muellerus, Dorienses II², 54, not. 6; id ipsum enim nomen quartae tribui fuisse. Apud *Argivos* quoque iuxta Doricas *tribus quarta* fuit a vetere quadam heroina, Hyrnetho, Temeni filia, nominata. Steph. Byz. s. v. Δυμᾶνες· φυλὴ Δωριέων. ἦσαν δὲ τρεῖς, Ὑλλεῖς καὶ Πάμφυλοι καὶ Δυμᾶνες . . . καὶ προσετέθη ἡ Ὑρνηθία. Mirum videri possit, quod Hyrnetho, quae indigenarum heroina eponymus est, Temeni filia vocatur; qua de re conferas Nicolaum Damasc. in Fragm. Hist. Graec. ed. Mueller vol. III p. 376; Paus. II, 19, 1 et II, 28, 3—6. Verum antiquissimis temporibus Dorienses non statim principatum tenuerunt, sed cum vetustioribus incolis aequo fere iure erant. Hoc ipsum maxume et luculentissume illa re exprimitur, quod Hyrnetho non tantum filia est Temeni in fabulis Argivorum et Epidauriorum domesticis, sed quod eam etiam eiusque maritum Deiphontem plus Temenus diligit, quam filios germanos, quorum ingenia ut atrocia, insolentia, superba describuntur; Nicol. Damasc. p. 376: στέργων οὖν ταύτην καὶ τὸν γαμβρὸν πολὺ μᾶλλον ἢ τοὺς υἱεῖς καὶ εἰς ἅπαντα χρώμενος διετέλει.

11. Hyrnethus heroinae fata speculum sunt miseriarum, quibus quarta illa Hyrnethiorum tribus obruta paullatim est.

Progrediente deinde tempore Doriensium et indigenarum animi magis magisque alteri ab alteris abalienati sunt, et Dorienses principatum ad se vindicaverunt veterum indigenarum iure conculcato. Hoc quoque in Hyrnethus fabula clarissime exprimitur: nam ita fere veteres illi Hyrnethii narrabant: tres Temeni filios, Cisum, Cerynam, Phalcam (Κεῖσον, Κερύνην, Φάλκην Paus. II, 28, 3) odio et furore ardentes in Epidauriam irrupisse ad Hyrnetho sororem rapiendam. Deiphontam auxilio coniugi venisse, sed Phalcam, qui Hyrnetho iam in currum suum sustulisset, captivam vehementius arripuisse et manibus comprehensam tam ferociter retinuisse, ut, cum eo ipso tempore mulier gravida esset, exanimata expiraret; Paus. II, 28, 5: Φάλκης δὲ ἀντεχόμενος καὶ ἕλκων βιαιότερον ἀπέκτεινεν ἔχουσαν ἐν γαστρί. Hac fabula sub fictis heroum nominibus vera rerum eventa describuntur; nam magis magisque Dores alteros illos in statum iniquom et humiliorem detruserunt. Et Argis quidem tribus Hyrnethia ex inscriptionibus quoque prodiit; in Corp. Inscr. Graec. I, no. 1130: ά φυλὰ τῶν Ὑρναθίων Μ. Πομπήϊον Χαρεῖνον τὸν ἐκ προγόνων εὐεργέταν, et no. 1131: Σέξτον Πομπήϊον Σέξτου υἱόν . . . ά φυλὰ τῶν [Ὑρ]ναθίων. De huius tribus apud Argivos memoria conf. docte disserentem Boeckhium, Corp. Inscr. Gr. I, p. 579. Nomen vero Hyrnethiorum sicut Argis ita in Argivorum coloniis quoque quartae indigenarum tribui sollemne fuit. Primum de Epidauriis id maxume probabile, quoniam apud eos Hyrnethus heroinae memoria celebratissima est. Ex Epidauro Temeni filios eam rapuisse, in Epidauri urbis vicinia eam expirasse, fama erat. Atque urbem intrantibus fanum Hyrnethus et lucus ei consecratus conspiciebatur, maxumae apud Epidaurios religionis; Paus. II, 28, 3: κατιοῦσι δὲ ἐς τῶν Ἐπιδαυρίων πόλιν χωρίον ἐστὶ πεφυκυίας ἀγριελαίους ἔχον· Ὑρνήθιον δὲ καλοῦσι τὸ χωρίον. Pulchra sunt quae de hoc Hyrnethio Pausanias II, 28, 6 tradit: ἀναλαβόντες δὲ τὸν νεκρὸν τῆς Ὑρνηθοῦς κομίζουσιν ἐς τοῦτο τὸ χωρίον τὸ ἀνὰ χρόνον Ὑρνήθιον κληθέν. καί οἱ ποιήσαντες ἡρῷον τιμὰς καὶ ἄλλας δεδώκασι, καὶ ἐπὶ τοῖς πεφυκόσιν ἐλαίοις . . . καθέστηκε νόμος. τὰ θραυόμενα μηδένα ἐς οἶκον φέρεσθαι, μηδὲ χρᾶσθαί σφισιν μηδέν, κατὰ χώραν δ' αὐτοῦ λείπουσιν ἱερὰ εἶναι τῆς Ὑρνηθοῦς. conf. Steph. Byz. s. v. Ὑρνήθιον.

12. Quae de Epidauriorum rei publicae institutis tradantur, ea dubitari non posse, quin Aeginetarum quoque, colonorum ex Epidauro, propria fuerint.

Veteres illos incolas, quos nomine honorifico Hyrnethios vocare licebit, rura potissumum coluisse ibique vitam in opere rustico consumpsisse, probabile est, cum cives Dorienses munera publica in urbe obirent et armorum studia exercerent. Ab illo igitur

contemptiore vitae genere nomen agricolis illis ab optimatibus sordidum non sine irrisione quadam inditum est: κονίποδες vel κονιορτόποδες. Plutarchus optime, quantum ordinum illorum apud Epidaurios discrimen et quemadmodum omnis in republica potentia penes patricias illas gentes fuerit, illustrat: Plut. Quaest. Graec. 1: sub hac inscriptione: Τίνες ἐν Ἐπιδαύρῳ κονίποδες καὶ ἄρτυνοι; Reipublicae summa negotia centum et octoginta viri curabant, quos ex totidem gentibus nobilibus, singulos e singulis, electos esse probabile est. Ex eorum numero senatus paucorum, ut videtur, capitum eligebatur, quibus artynis nomen erat: eorum manu clavus reipublicae regebatur; hi et deliberabant de republica et exequebantur decreta; nam haec deliberandi et administrandi munera in compluribus Graeciae civitatibus distincta non fuisse, egregie evicit Schoemannus in Antiquitat. Graec. I[3] (Berol. 1871), p. 150. Itaque de fide eorum, quae Plutarchus nobis circa haec Epidauriorum instituta tradit, dubitandum non est, quamquam viro summo, C. O. Muellero, Aeginet. p. 134 lin. 20 suspecta illa visa sunt propter non distinctas deliberandi et deliberata exequendi facultates. Ait Muellerus: *fuisse autem* ἀρτύνους *istos* βουλευτάς, *quis Plutarcho credet?* Sed post Schoemanni disputationem destinatum et offirmatum est Plutarcho credere: itaque adscribamus, quae ille de Epidauriorum reipublicae summis rectoribus tradit, quaest. gr. 1: οἱ μὲν τὸ πολίτευμα [ἔχοντες, quod supplet Wyttenbach] ὀγδοήκοντα καὶ ἑκατὸν ἄνδρες ἦσαν. ἐκ δὲ τούτων ᾑροῦντο βουλευτάς, οὓς ἀρτύνους ἐκάλουν. Hi igitur optimates tenuiores illos in agris degentes nomine a re indito κονίποδας nuncuparunt. Plutarchus l. s.: τοῦ δὲ δήμου τὸ πλεῖστον ἐν ἀγρῷ διέτριβεν· ἐκαλοῦντο δὲ κονίποδες, ὡς συμβαλεῖν ἐστιν, ἀπὸ τῶν ποδῶν γνωριζόμενοι κεκονιμένων, ὁπότε κατέλθοιεν εἰς τὴν πόλιν. Formam nominis paullulum diversam testatur Hesychius s. v. κονιορτόποδες· ἀγροῖκοι, ἐργάται. Iam cum certissimum sit, Aeginetas usque ad Olympiadem fere LX cum Epidauriis, parentibus quasi suis, ut coloniae auctoribus, coniunctissimos eorumque, ut colonorum, civitatem imaginem Epidauriorum institutorum fuisse, facilis est coniectura, Aeginae quoque iuxta sollemnes illas Doricas tribus quartam fuisse Hyrnethiorum tribum, quo nomine veterum incolarum multitudo nuncupata fuerit; quod Muellero quoque Aeg. p. 140, lin. 16 probabile visum est.

13. De nobilitatis Aegineticae in corpora minora, πάτρας, divisione et de satis severo primorum erga plebem imperio.

Aeginae igitur summa reipublicae potestas penes gentes nobiles erat. Hisce familiis vel familiarum coetibus nomen erat "*patrarum*" (πάτραι), quarum frequens est apud Pindarum memoria; Pind. Pyth. VIII, 38: αὔξων δὲ πάτραν Μιδυλιδᾶν λόγον φέρεις; Isth. V, 63: τὰν Ψαλυχιδᾶν δὲ πάτραν Χαρίτων ἄρδοντι δρόσῳ; Nem. VII, 70: Εὐξενίδα πάτραθε Σώγενες. Et patrae quidem sub uno formae patronymicae nomine complures familias comprehendebant, quae omnes ab uno heroe eponymo origines repetebant. Quamquam una rursus

ex omnibus familia illud totius patrae nomen ut sibi maxume proprium et genuinum semper ad se vindicasse videtur, quom se unam arctissimo sanginis vinculo cum atavo illo coniunctam esse ab eoque recto cursu descendere gloriaretur. Hoc colligas ex distincta rursus apud Pindarum patra ab familia eiusdem nominis, Pind. Nem. VIII, 46: σεῦ δὲ πάτρᾳ Χαριάδαις τε λάβρον | υπερεῖσαι λίθον Μοισαῖον. Muellerus, Aeg. p. 139 Eteobutadarum nomen recte in comparationem vocavit. Pindarus in carminibus Aegineticis septem omnino patrarum, e quibus victores oriundi erant, nomina tradidit: Bassidarum (Nem. VI, 36), Blepsiadarum (Ol. VIII, 75), Chariadarum (Nem. VIII, 46), Euxenidarum (Nem. VII, 70), Midylidarum (Pyth. VIII, 38), Psalychidarum (Isthm. V, 63), Theandridarum (Nem. IV, 73). Patrarum Aegineticarum plurimae, ut videtur, iam ex Epidauro in Aeginam transvectae erant; ac fortasse eiusdem nominis gentes nobiles et Epidauri et Aeginae complures sedem habuerunt. Unius certe gentis Aegineticae vestigia Epidauri quoque inveniuntur, Bassidarum. Inscriptio quaedam Epidaurica, in honorem Bassi Heraclidae composita, fidem facere videtur, et hunc Bassum cum Pindaricorum Bassidarum patra cognatum et vetustissimum huius gentis eponymum Herculis prolem fuisse. Titulus hic est, Corp. Inscr. Gr. I, no. 1167 p. 588: Ἀλκίδου Βάσσον γενεῆς, ἐρικυδέα φῶτα, || βουλὴ καὶ δῆμος ναέται ζαθέης Ἐπιδαύρου | ἀντ' εὐεργεσίης, τὴν πολλάκι δῶκε πόληϊ. conf. Boeckhium idem censentem et O. Muellerum Aegin. p. 138.

Nobilium gentium, quae Aeginae principatum tenebant, imperium satis severum fuisse, credibile est; eius rei argumenta in tanta pleniorum testimoniorum penuria e tenuibus et fortuitis rivolis nos haurire nemo vitio nobis vertet. Plato in Cratylo proverbii instar morem Aeginetarum memorat homines noctu per itinera vagantes multandi, Plat. Crat. p. 433: ἐῶμεν, ἵνα μὴ ὄφλωμεν, ὥσπερ οἱ ἐν Αἰγίνῃ νύκτωρ περιιόντες ὀψὲ ὁδοῦ, καὶ ἡμεῖς ἐπὶ τὰ πράγματα δόξωμεν . . . ἐληλυθέναι ὀψιαίτερον τοῦ δέοντος. Deinde Aeginetarum quoque leges aliquantum rigoris habuisse inde apparet, quod Dracontem, legum latorem Atheniensem, legum severitate nobilitatum, cum forte Aeginam venisset, tanto plausu in theatrum ingressum Aeginetae acceperunt, ut dum ad eum salutandum et honorandum certatim pileos et amictus in eum coniciunt, hominem suffocando interemisse dicantur; Suidas s. v. Δράκων· οὗτος εἰς Αἴγιναν ἐπὶ νομοθεσίαις εὐφημούμενος ὑπὸ τῶν Αἰγινητῶν ἐν τῷ θεάτρῳ, ἐπιρριψάντων αὐτῷ ἐπὶ τὴν κεφαλὴν πετάσους πλείονας καὶ χιτῶνας καὶ ἱμάτια, ἀπεπνίγη καὶ ἐν αὐτῷ ἐτάφη τῷ θεάτρῳ. conf. eundem s. v. πέτασος, deinde O. Muell. Aeg. 130.

14. Acerrimum plebeiorum erga primores odium ne proditionem quidem patriae abominatur. Nicodromi seditio et piaculum insanabile ab optimatibus commissum.

Verum progrediente tempore paullatim quarta illa sive Hyrnethiorum sive Conipodum tribus, quae initio impositum sibi iugum minus aegre tulerat, magis magisque contumax et ad rebellandum prona facta videtur, immo tanto paullatim odio exarsit, ut

de prodenda etiam hostibus patria consilia iniret. Athenienses vero ad tales conatus adiuvandos promptissimi semper erant; eorum potissumum auxilio freti vel clade aliqua accepta machinatores illi nova semper consilia moliti sunt. Unius eius generis rebellionis satis copiose Herodotus historiam narravit VI, 88—92. Incidit res in annum fere Ol. 72, 2 (= 491 a. Chr.). Erat Nicodromus quidam, Cnoethi filius, qui, cum iniuste, ut ipse opinabatur, priore iam tempore ab optimatibus, quos ipsi Aeginetae παχεῖς appellare consueverant (Herod. VI, 91), exilio multatus esset, deinde acerbatus redisset, ut iniuriam ulcisceretur et patriam paucorum invisa illa dominatione liberaret, cum Atheniensibus, eodem tempore vehementer Aeginetarum populo iratis, consilium composuit: die praestituta Athenienses ad Aeginam cum classe paratos esse oportere, eadem die se cum factionis sociis antiquam, quae vocetur, urbem ex improviso occupaturum. Et ipse quidem promisso stetit, arcem illam occupavit; Athenienses, quibus ad navium numerum supplendum a Corinthiis demum naves emendae essent, uno die post tempus conventum praesto fuerunt, Herod. VI, 89: καὶ ὑστέρησαν ἡμέρῃ μιῇ τῆς συγκειμένης. Nefario illo consilio palam facto Nicrodromus cum sociis nave conscensa aufugit et ab Atheniensibus Sunium habitandum accepit.

Iam vero hunc Nicodromi conatum minume paucorum hominum desperatam amentiam fuisse, ea, quae subsecuta sunt, clare ostenderunt. Mota enim a Nicodromo seditione tanquam e composito universa plebs ad arma concurrerat ad dominationem paucorum excutiendam. Sed παχεῖς illi, continuis armorum et artis gymnasticae studiis ad talia eximie exercitati, seditionis hydram contuderunt. Nec leniter illa victoria usi sunt. Nam, quemadmodum narrat Herodotus, ex illis, quos in pugna superaverant, septingentos captivos ad supplicium abduxerunt. Ac praeteribat triste illud agmen aedem Cereris Thesmophori. Tum unus ex miseris illis perruptis vinculis cursu ad illius aedis valvas confugit manibusque suis valvarum ansas eum in modum viribus propter desperationem supra humanam naturam auctis retinuit, ut nullo modo avelli posset. Inde ingentis piaculi caussa orta est; cum illum carnifices illi frustra abripere temptarent, securi arrepta manus amputarunt eumque, atrox dictu, sic sine manibus ad mortem abduxerunt; manus vero illae abscissae portento facto cum ansis valvarum plane concreverant; Herod. VI, 91: χεῖρες δὲ ἐκεῖναι ἐμπεφυκυῖαι ἦσαν τοῖς ἐπισπαστῆρσι. Hoc piaculum, quamdiu in insula sua fuerint, nunquam Aeginetas extinguere potuisse, Herodotus censet l. s.: ἀπὸ τούτου δὲ καὶ ἄγος σφι ἐγένετο, τὸ ἐκθύσασθαι οὐκ οἷοί τε ἐγίνοντο ἐπιμηχανώμενοι, ἀλλ' ἔφθησαν ἐκπεσόντες πρότερον ἐκ τῆς νήσου ἤ σφιν ἵλεων γενέσθαι τὴν θεόν.

15. Odia Aeginetarum et Atheniensium, per bella Persica paullulum feriata, mox instaurantur. Factio popularis Aeginetica comparatur cum eadem apud Samios factione.

Haec factionis popularis rebellandi conamina sine dubio vel post atrox illud supplicium nunquam cessarunt: sub cineribus igniculi ardebant et modo tectius, modo apertius erumpere conati sunt. Athenienses occasionem et tempora circumspiciebant. Illo solo tempore, quo Xerxis expeditio imminens Graecorum omnium animos sollicitos tenebat, cum prudentissimo consilio in Graecorum conventu omnia bella mutua seponenda esse decretum esset, Athenienses quoque et Aeginetae inveterata odia paullulum deposuerunt: Herod. VII, 145: εδόκεε . . . καταλλάσσεσθαι τάς τε ἔχθρας καὶ τοὺς κατ' ἀλλήλους εόντας πολέμους. ἦσαν δὲ πρός τινας καὶ ἄλλους . . .. ὁ δὲ ὦν μέγιστος Ἀθηναίοισί τε καὶ Αἰγινήτῃσι. Post breves illas, quas commune periculum effecerat, discordiarum indutias fieri non potuit, quin inimicitiae recrudescerent. Ansa data ab Aeginetis, qui, cum Spartanis insciis Athenienses urbem suam muris aedificandis firmarent, indicem eius rei Spartam miserunt; Plut. Themist. 19: Πολυάρχου κατηγοροῦντος ἐπίτηδες ἐξ Αἰγίνης ἀποσταλέντος. Aeginetarum igitur optimatibus, qui rem publicam moderabantur, a duplici semper periculo cavendum erat: ab hoste externo et ab hoste intestino; atque Pindaro certe indice, id quod luculenter ex carminis Pyth. VIII archa apparet, ille, qui in praecordiis rei publicae haerebat, perniciosior etiam erat altero illo, qui aperta saltem vi minabatur.

Aeginetarum per illa tempora difficultates et curae optime cognosci et diiudicari possunt ex simili plane alius cuiusdam civitatis conditione, quae paucis annis post Aeginam eidem fatorum decreto eidemque hostium externorum cum intestinis foederi icto occubuit, cuius cladem copiosioribus antiquorum scriptorum narrationibus adumbratam accepimus, ex *Samiorum reipublicae* certaminibus postremis.

Apud Samios quoque popularis factio erat, clandestino foedere Atheniensibus obstricta, quae perniciem optimatibus moliebatur. Huius factionis suasu et ope Pericles adscitus Samum prima statim incursione cepit et conversa rei publicae forma populares ad clavom rei publicae constituit, qua de re luculenter testatur Thucydides. Milesii erga Samios Atheniensium opem imploraverant. Cum Milesiis una cives nonnulli Samii Athenienses ut venirent impulerunt; Thuc. I, 115: οἱ Μιλήσιοι . . . παρ' Ἀθηναίους ἐλθόντες κατεβόων τῶν Σαμίων. ξυνεπελάβοντό τε καὶ ἐξ αὐτῆς τῆς Σάμου ἄνδρες ἰδιῶται νεωτερίσαι βουλόμενοι τὴν πολιτείαν. Eorum consilia rata fecit Pericles democratia constituta: Thuc. ibid.: πλεύσαντες οὖν Ἀθηναῖοι ἐς Σάμον ναυσὶ τεσσαράκοντα δημοκρατίαν κατέστησαν καὶ ὁμήρους ἔλαβον. Similiter Diodor. XII, 27: οὗτος (i. e. Περικλῆς) δὲ πλεύσας ἐπί τε τὴν Σάμον παρεισελθὼν καὶ τῆς πόλεως ἐγκρατὴς γενόμενος, κατέστησε δημοκρατίαν ἐν αὐτῇ.

16. De ἰδίᾳ vocis usu. — Gigantum imagine et quid intersit inter verum robur et furorem illustratur et proditorum apud Aeginetas patriae scelera castigantur.

Factio igitur popularium apud Aeginetas eisdem votis studiisque flagrabat; patriae proditionem illi, modo optimates, carnifices suos, everterent, minime cohorruerunt. Et est clarum minumeque ambiguum quoddam apud Scholiastam Pindari testimonium, illo ipso, quo Aristomenes, Xenarcis filius, Pythia vicit, tempore seditionum et discordiarum perniciosissumo periculo maxume Aeginam flagrasse. Schol. Pind. p. 394 med.: ἰδίᾳ Αἰγινήταις ἦσαν στάσεις περὶ τὸν τῆς νίκης τοῦ Ἀριστομένους καιρόν. Quaeri possit, quid in hoc loco sit ἰδίᾳ. Non credo, scriptorem, solis Aeginetis illo tempore discordias civiles fuisse, dicere velle, quemadmodum ea voce Pausanias utitur, Paus. I, 29, 5: Ἀθηναῖοι δὲ ἰδίᾳ . . . ἐστράτευσαν i. e. soli egressi sunt. Immo vox ἰδίᾳ apud scholiastam eandem rem significat, quam Thucydides loco supra allato I, 115 de Samiis loquens ita exprimit: ἐξ αὐτῆς τῆς Σάμου "ἄνδρες ἰδιῶται" νεωτερίσαι βουλόμενοι. Non enim erat illa factio talis, quales in omnibus antiquitatis civitatibus reperiuntur, quae iure publico niteretur et armis e legibus depromptis cum adversariis dimicaret; immo privatis isti consiliis, intra parietes procusis, perniciossimo scelerum apparatu, omnia agebant.

Hanc igitur in republica Aeginetarum factionem, quae patriam ad perdendos optimates Atheniensibus proditam, quam salvam sub optimatium dominatione mallet, Pindarus in carminis Pyth. VIII archa cum Gigantibus et Typhoeo adversus Jovem rebellantibus comparat, v. 8—20. Iam si quaeratur, quo vinculo haec Gigantum devictorum imago cum totius carminis consilio cohaereat, facili id negotio expediri potest. Totum carmen in eo proposito nititur, ut quae sit veri roboris origo et natura definiatur. Ac verum in homine robur divinae originis esse, iam supra vidimus luculenter a poeta cum per totum carmen tum in sphragide potissumum explicari. Iam archae ea vis est, ut veri roboris contrarium adumbretur, quod falsissimo interdum iudicio volgus pro vero robore admiratur, furor ille et amentia, quae adversus divinum numen offirmato scelere et temeritate rebellant. Non est, inquit, robur verum, quod dis adversatur; ea vesania est et stolida sui fiducia, quae post brevem tumultum praecipitabitur. Haec omnia Pindarus in imagine Porphyrionis, Gigantum regis, et Typhoei magna vi expressit et exsculpsit. Sub ea imagine dubium non est, quin factio illa apud Aeginetas patriae proditorum, nullum facinus perhorrentium, intellegenda sit. Hoc inde maxume apparet, quod mitis quaedam vox interiecta est, qua poeta perditorum illorum studia corrigit, tanquam nondum omni spe irrita; non vi atque rapinis, sed mutuis officiis et gratia danda et accipienda, illa quae optes, impetranda esse; v. 13: κέρδος δὲ φίλτατον, || ἕκοντος εἴ τις ἐκ δόμων φέροι. Universo vero carmini *Prooemium v. 1—7* Pindarus praetexuit, quo Hesychiam deam invocat, quae haud dubie ab Aeginetis publice colebatur. Eius memoria in eo carmine, quo quid verum robur esset, poeta sibi illustrandum sumpserat, paene necessaria erat. Nam Hesychia pulcherrimi illius foederis,

quo diversi in civitate ordines inter se mutuis officiis copulantur, conciliatrix est, et in hac omnium cum omnibus concordia veri roboris fundamentum positum est; nihil quidquam pulchrius in civitatibus, quam hoc tuum, Hesychia, regnum est; v. 6: τὺ γὰρ τὸ μαλθακὸν ἔρξαι τε καὶ παθεῖν ὁμῶς || ἐπίστασαι καιρῷ σὺν ἀτρεκεῖ. Sed eadem haec Hesychia cum scelere lacessitur, iniuriam summa severitate ulciscitur.

17. Carminis Pyth. VIII artificiosa compositio eius sententiae, quae Pindari carmina ad Nomorum Terpandri regulas composita censet, egregium firmamentum est. Eruditorum de ea sententia scrupuli.

Iam igitur totum hoc carmen pulcherrimi aedificii instar structum et dispositum se nobis offert; ibi nulla est pars vel particula, quae turgida otiosave sit, in qua aut nimium aut parum poeta dixerit. Omnia innatam quandam harmoniam spirant. Legem autem, in qua tam pulchre omnia nituntur, vetustissimam illam esse, quam Terpander in nomis suis componendis secutus sit, ea ipsa re manifesto elucet, quod omnia sua sponte, nullis machinis coacta, voluntario consensu ad hanc unam normam aliamque nullam conveniunt et competunt. Verum enim vero cavendum est, ne iusto cupidius triumphare videamur. Haec enim sententia de Terpandri nomorum lege a Pindaro expressa et usurpata tam multos etiamnunc adversarios habet, ut hoc ipsum, quo nitimur, fundamentum firmius etiam stabiliendum et ab omnibus scrupulis, qui vim eius infringere et rodere posse videantur, strenue defendendum sit.

Quamquam enim Rudolfus Westphal in Prolegomenis Aeschyleis, Lips. 1869, p. 80 sqq. et in libro pulcherrimo: Catull's Gedichte, ed. altera, Vratislaviae, 1870 p. 75, eumque secutus et inventa ab eo nova luce illustrans Fridericus Mezger, Pindar's Siegeslieder p. 24—36 egregie totius huius quaestionis fundamenta iecerunt, tamen sunt hodieque in eorum numero, quorum in litteris Pindaricis summa auctoritatis et est et esse debet, qui assensum cohibeant, qui rem speciosissimam et mirum quantum ad persuadendum blandam ut phantasma aliquod, e paucorum cerebro natum, a studiorum suorum sobria et munda supellectile arceant. Atque ex omnibus illis adversariis duos nunc, quorum nomina nunquam nisi honoris caussa et summa veneratione nuncupem, solos tanquam chori illius coryphaeos affero, Guilelmum Christium in libro de arte metrica, Lips. 1874, p. 644 et Theodorum Bergkium in Hist. Litt. Graec. vol. II, Berol. 1883, p. 213. His tam peritis et de Pindaro hercle egregie meritis iudicibus copiosius, quam adhuc factum est, satisfaciendum erit. Summa vero in tota hac quaestione difficultas hac re continetur, quod in notissimo Pollucis de nomis Terpandricis testimonio nomi partium ordo et series ab carminum Pindari partium ordine aliquantum differunt. Apud Pollucem quattuor sunt ante omphalum partes, secundum legem quandam exactissimae symmetricae, quam recte intellexit Bergkius, Hist. Litt. Gr. II, 212 sq., dispositae; Poll. IV. 66: μέρη . . .

ἑπτά· ἀρχά, μεταρχά, κατατροπά, μετακατατροπά, ὀμφαλός, σφραγίς, ἐπίλογος. Atque hunc in modum in nomis stili vetustioris, qualis Terpandri aetate in usu fuit, partes dispositas et ordinatas fuisse, non est cur dubitemus. Metarcha enim post Archam collocata necessario poscit Metacatatropam post Catatropam positam. In hoc igitur prisco nomorum genere prior carminum pars ante omphalum longe ornatior et locupletior est, quam posterior carminum pars; qua de re optime exposuit Bergkius l. s.

18. In summa Pindaricorum carminum cum Terpandri Nomis similitudine unum esse discrimen gravissumum: Metacatatropam ex loco ante Omphalum in sedem post Omphalum traiectam.

Iam vero cognitu hoc dignissimum et ad veteris poesis lyricae historiam et incrementa pernoscenda gravissimum est: Structuram nomorum in Pindari carminibus eam esse, ut Metacatatropa a Catatatropa soluta et ex sede sua proxima ante Omphalum in sedem proximam post Omphalum traiecta sit. Hoc apud Pindarum ita se habere, ipsum quoque certissimum est. Catatropam enim in Pindari carminibus recto cursu ad Omphalum, nullo membro interposito, traducere, quis est qui negare ausit? Catatroparum profecto formulae propter mirificam illam simplicitatem et sollemnia quaedam artificia, ex prisca arte fideliter et religiose servata, facillimae sunt et ad inveniendum et ad definiendum. Quis recurrentes et tam dilectas Pindaro dicendi formas, qualis haec est: Nem. X, 20: βραχύ μοι στόμα πάντ' ἀναγήσασθ', ὅσων Ἀργεῖον ἔχει τέμενος || μοῖραν ἐσλῶν et tot similes aut casui aut neglegentiae tribuat, quae eodem semper carminum loco ante Omphalum positae haud dubie artis legem quandam dilucide produnt? Ac plane similiter eadem constantia post Omphalum finitum Metacatatroparum sollemnes et adamatae formulae repetuntur, cum poeta notissima illa formularum supellectile significat: iam ad aliud argumentum cantus cursum circumflectendum esse; velut Nem. IV, 69: Γαδείρων τὸ πρὸς ζόφον οὐ περατόν. ἀπότρεπε || αὖτις Εὐρώπαν ποτὶ χέρσον ἔντεα ναός. Habent haec antiquitatis et simplicitatis austerum quidem quendam, sed gratissimum saporem; sunt haec vestigia artis, quae nondum prorsus pueritiae suae fascias et incunabulorum memoriam deposuit.

20. Respondentes sibi Catatropam et Metacatatropam saepe vocabulis ipso sono sibi respondentibus insignitas esse.

Ad hanc observationem pulcherrime acutissimum Mezgeri inventum accedit: eam fuisse antiquae artis in symmetria struenda subtilitatem, ut in respondentibus sibi carminum partibus vocabula etiam ipso sono sibi respondentia, sive compluria sive singula collocarentur, ut non animo tantum et mentis acie, sed auribus etiam partium illarum

concentus perciperetur; conf. Mezgerum p. 26 sq. Velut in carmine, quod egregium prisci stili specimen est, Ol. VII, vel qui summatim haec legat, fieri vix poterit quin concentu vocabulorum percutiatur, primum in Catatropa v. 20: ἐθελήσω τοῖσιν ἐξ ἀρχᾶς ἀπὸ Τλαπτολέμου ‖ ξυνὸν ἀγγέλλων διορθῶσαι λόγον, et in Metacatatropa v. 77: τόθι λύτρον συμφορᾶς οἰκτρᾶς γλυκὺ Τλαπτολέμῳ ‖ ἵσταται Τυρινθίων ἀρχαγέτᾳ. Ac ne illud quidem casui tribuendum est, quod interdum singula vocabula, pondere sane aliquo et singulari vi praedita, locis carminum sibi respondentibus ita posita inveniuntur, ut alterum alterius memoriam revocet. Hoc quoque modestum est et parvum, sed minume hercle ineptum Pindaricae supellectilis instrumentum. Velut in carmine fidissume nomorum antiquom stilum exprimente Nem. X, in Catatropa v. 21: μοῖραν ἐσλῶν, in Metacatatropa v. 53: ἀγώνων μοῖραν; de quo dixit Mezgerus p. 27 extr.

21. Mutatio Metacatatropae traiectae, specie parva, re magna, quibus de caussis et quando instituta sit.

Hoc igitur Mezgeri invento in ipsam quasi Pindari officinam introducimur. Nec illae, quae videntur esse, minutiae parvi faciendae sunt. His ipsis carminum Pindaricorum stilus accuratius definitur. Nam Pindari carmina tantum abest, ut unum stilum omnia habeant, ut mirum quantum inter se diversa sint; nam modo pressius ad priscam normam accedunt, modo liberiore itinere ab ea deflectunt. Iam igitur hoc constare videtur: Metacatatropam, quae apud Terpandrum, si fides ulla est Pollucis IV, 66 testimonio, ante omphalum fuit, in ea arte, quam Pindarus excoluit, post omphalum traiectam esse. Haec mutatio primo adspectu parva, ipso effectu, si omnia reputes, permagna haud dubie fuit, nam ea stilus omnino carminum eorum alius fiebat. Sed haec mutatio minime arbitrio cuidam vel temerario novandi conatui tribuenda est, immo fluxit ex inexhausta illa Graecae poesis fecundia, quae nunquam in traditis antiquitus formis acquievit et substitit, sed altius semper et altius evolavit; quae ea pietate antiqua conservavit, ut locupletando et excolendo pulchriora illa semper et nova redderet. Nec Pindarus pro illius inventi auctore habendus est; immo, nisi omnia fallunt, longe id antiquius est: ac sunt haud dubia argumenta post ipsius Terpandri aetatem id iam introductum esse. Potissima vero, qua ad illam compositionis legem variandam poetae adducti videnter, caussa exemplum haud dubie Nomi et auletici et aulodici fuit, qui ab utroque latere circa τὸ ἰαμβικὸν binas, vel ternas potius partes sollemnes habebant; Pollux IV 84. Praeterea unum in limine statim monendum est, unde error facile nasci possit: Metacatatropa apud Pindarum constantissimo usu in locum post omphalum traiecta in hanc facile opinionem nos adducere possit: novicia hac forma inventa vetustiorem illam antepositae omphalo metacatatropae ex usu sublatam prorsus in oblivionem abisse. Id plane secus factum est. Etenim ambae haud dubie formae ut iustae legitimaeque pro carminum diverso consilio et natura a poetis omni tempore, quamdiu

floruit Graeca poesis, pari iure usurpatae sunt. Sed haec omnia quomodo evenerint et quemadmodum nomorum ars per hos gradus ab incunabulis ad maturitatem progressa sit, accuratius nunc singulis quibusque consideratis, enarrandum erit.

22. De versus hexametri epici in Terpandri Nomis usu. — Quid sit apud Plutarchum de Mus. 3: κατὰ νόμον ἕκαστον.

Terpandri igitur antiquis temporibus octo Nomi ferebantur, quorum nomina non a deis, quibus consecrati Nomi essent, desumpta erant, sed a rebus magis fortuitis et externis; Pollux IV. 65: νόμοι δὲ οἱ Τερπάνδρου ἀπὸ μὲν τῶν ἐθνῶν ὅθεν ἦν, Αἰόλιος καὶ Βοιώτιος, ἀπὸ δὲ ῥυθμῶν ὄρθιος καὶ τροχαῖος, ἀπὸ δὲ τρόπων (τόπων mavolt Ervinus Rohde, de Iulii Pollucis fontibus, Lips. 1870, p. 72, praeeunte Westphalio) ὀξὺς καὶ τετραοίδιος, ἀπὸ δὲ αὑτοῦ καὶ τοῦ ἐρωμένου Τερπάνδρειος καὶ Καπίον. Septem tantummodo Plutarchus enumerat; sed unius, eiusque clarissimi, Orthii, memoria in fine indicis Plutarchei excidisse videtur; Plut. de Mus. 4: ἐκεῖνος (i. e. Τέρπανδρος) γοῦν τοὺς κιθαρῳδικοὺς (i. e. νόμους) πρῶτος ὠνόμασε Βοιώτιόν τινα καὶ Αἰόλιον, Τροχαῖόν τε καὶ Ὀξύν, Κηπίωνά τε καὶ Τερπάνδρειον καλῶν, ἀλλὰ μὴν καὶ Τετραοίδιον [καὶ Ὄρθιον, quod supplendum censet Bergkius Poet. Lyr. Graec. III⁴, p. 8, aliter paullulum statuente Ervino Rohde l. s. p. 72 not. 1]. De eadem re praeterea testantur Photius in Lexico I, 449 et II, 26 ed. Naber et Suidas s. v. νόμος et ὄρθιος νόμος. Atque Terpandri quidem nomos magna ex parte versibus heroicis constitisse, certissimis testimoniis evincitur; Proclus Chrestomath. in "Scriptores metrici Graeci" ed. Westphal, vol. I, Lips. 1866, pag. 245: δοκεῖ δὲ Τέρπανδρος μὲν πρῶτος τελειῶσαι τὸν νόμον, ἡρῴῳ μέτρῳ χρησάμενος. Plut. de Mus. 4: ὅτι δὲ οἱ κιθαρῳδικοὶ νόμοι οἱ πάλαι ἐξ ἐπῶν συνίσταντο, Τιμόθεος ἐδήλωσε. Gravissima et locupletem hercle doctrinam spirans Plutarchi haec est definitio ex Heraclidis Pontici Συναγωγῇ τῶν ἐν Μουσικῇ hausta; conf. Westphalium in editione libelli Plutarchei de Musica, Vratislaviae 1865, commentarii pag. 25. Plut. de Mus. 3 extr. (pag. 6 ed. Volkmann): καὶ γὰρ τὸν Τέρπανδρον ἔφη (i. e. ὁ Ἡρακλείδης) κιθαρῳδικῶν ποιητὴν ὄντα νόμων κατὰ νόμον ἕκαστον τοῖς ἔπεσι τοῖς ἑαυτοῦ καὶ τοῖς Ὁμήρου μέλη περιτιθέντα ᾄδειν ἐν τοῖς ἀγῶσιν.

Quaeritur quid sit: κατὰ νόμον ἕκαστον. Meibomius in Aristoxeni editione in "Script. rei musicae" vol. I, Amstelod. 1652, pag. 76 huius loci memor, ita eum circumscribendo transfert: *Terpandrum ... singulis nomis, tum carminibus suis ac Homeri, cantica circumponentem cecinisse in certaminibus.* Is igitur credidisse videtur, Plutarchum dicere: Terpandri nomis Homeri versus immixtos fuisse. Westphalius in versione Germanica libello Plutarcheo adiuncta q. 36 extr. non satis clare, quem eorum verborum sensum putaret, elocutus est. Mihi Plutarchus vel Heraclides potius id non testari videtur, Terpandrum Homeri carminum particulas nomis suis inseruisse. Immo hoc est quod volt Heraclides: Terpander eandem harmoniam eosdemque modos musicos, quibus in

nomo componendo usus erat, etiam ad illam, quae post nomum ab ipso canenda esset, Homeri rhapsodiam transtulit. Itaque consensus quidam erat generis modorum ipsius nomi, qui tanquam praeludium aliquod universo certamini (ἀγῶνι) praemittebatur, cum modorum genere, quo prima rhapsodia instructa erat, qua certamen aperiebatur. Verborum igitur Plutarchi de Mus. 3 extr.: κατὰ νόμον ἕκαστον τοῖς ἔπεσι τοῖς ἑαυτοῦ καὶ τοῖς 'Ομήρου μέλη περιτιθέντα hic sensus est: *cum pro nomi cuiusque proprietate et genere et suis hexametris* in nomo *et Homericis* (qui post nomum absolutum decantandi essent) *modos musicos circumfunderet.*

Id vero Terpander cur fecerit, manifestum est. Modorum illo concentu ambo carmina, nomus et quae nomum excipiebat, rhapsodia Homerica, ita inter se coniungebantur, ut per duo corpora una quasi anima spiraret. Poetis vero arctum hunc prioris cum altero carmine conexum cordi fuisse, ipse Plutarchus indicat, qui post nomum absolutum veteres illos citharoedos nulla mora interposita ad Homerum vel alium epicae poesis auctorem properasse dicit; Plut. de Mus. 6 p. 9 Volkm.: τὸ γὰρ πρὸς τοὺς θεοὺς ἀφοσιωσάμενοι ἐξέβαινον εὐθὺς ἐπὶ τὴν 'Ομήρου καὶ τῶν ἄλλων ποίησιν. δῆλον δὲ τοῦτ' ἔστι διὰ τῶν Τερπάνδρου Προοιμίων. His postremis verbis vocem Προοίμια integra carmina, nomos, non primores tantum nomorum partes significare, manifestum est. Is eius vocis usus notus ex Thucydide 3, 104. His testimoniis inspectis dubium esse non potest, magnam Terpandri nomorum partem Hexametris constitisse. Viri igitur egregii Bernhardyi in Hist. litt. Gr. II, 1³ (1867) pag. 603 opinio, raro et nulli certae normae adstrictum Terpandrum hexametros composuisse, cum auctorum testimoniis haud satis congruit. Iam si quaeratur, cuinam potissumum nomorum parti hexametros Terpander destinarit, coniectura in promptu est, omphalum his numeris natura sua maxume aptum fuisse. In archa aliis rhythmis Terpandrum usum esse, clarissimi fragmenti versibus constat, in quibus ἀρχὰ vocabulum bis usurpatum est, semel sensu communi et generaliore, deinde ita, ut aperte nomi illa pars suo illo nomine sollemni et usitato nuncupetur; Clemens Alex. Strom. VI, 11 § 88: Ζεῦ πάντων ἀρχά, πάντων ἁγήτωρ, | Ζεῦ, σοὶ πέμπω (σπένδω Bergkius) ταύταν ὕμνων ἀρχάν.

23. In septem sollemnibus Nomi Terpandrici partibus "Prooemium" non inveniri. Cum hac re pugnat, quod e nomorum prooemiis fragmenta expresse afferuntur. Haec discrepantia quomodo solvenda sit.

Accedendum nunc est ad difficillimam quaestionem, quae ad divisionem et dispositionem nomi Terpandrici recte definiendam permagni momenti est: Fueritne carminum Terpandricorum separatum ab Archa *Prooemium.* Pollux loco illo celebratissimo IV, 66 de partibus nomi Terpandrici Prooemii mentionem nullo verbo facit; immo partium illarum septem nomina, quae omnia ab eo enumerantur, cum tot esse oporteat (μέρη . . .

Τερπάνδρου καταν είμαντος ἑπτά·), ne admittunt quidem octavam aliquam prooemii partem. Nihilominus Terpandrum carminibus suis prooemia praefixisse certissimum est. Notum est exordium *nomi Orthii*, qui vocabatur, quem in Apollinis honorem Terpander composuerat. Eius exordii prima verba "Prooemii", nam hoc ipso verbo scriptores utuntur, esse dicuntur; Schol. Aristoph. Nubb. 595: τὸ δὲ "ἀμφί μοι αὖτε" ἐκ τῶν Τερπάνδρου προοιμίων. καὶ γὰρ ἐκεῖνος οὕτως ἤρξατο. Ἀμφί μοι αὖτις ἄνακτα. τὸ δὲ προοιμιάζεσθαι ἀμφιανακτίζειν ἔλεγον; et paullo infra: μιμεῖται τῶν διθυράμβων τὰ προοίμια. συνεχῶς γὰρ χρῶνται ταύτῃ τῇ λέξει· διὸ καὶ ἀμφιάνακτας αὐτοὺς ἐκάλουν. ἔστι δὲ Τερπάνδρου· Ἀμφ' ἐμοὶ ἄνακτα ἑκατηβόλον. Haec Terpandri verba celebratissima ex Orthio nomo sumpta esse Suidas testatur s. v. Ἀμφιανακτίζειν· ᾄδειν τὸν Τερπάνδρου νόμον τὸν καλούμενον ὄρθιον, ὃ αὐτῷ προοίμιον (οὗ τὸ προοίμιον, Bergkius in Poet. lyr. Gr. III⁴. p. 9) ταύτην τὴν ἀρχὴν εἶχε· Ἀμφί μοι αὖτε ἄναχθ' ἑκαταβόλον || ἀειδέτω φρήν (ita haec verba acutissime scribenda docuit Bergkius. Hist. litt. Gr. II, 214 not. 35 et Poet. lyr. III⁴, p. 9).

Constat igitur, Terpandri nomos, fortasse non omnes, sed unum certe alterumque prooemiis instructos fuisse. Nam Nomum illum in Iovem, cuius Archa servata est (Ζεῦ πάντων ἀρχά ...), quis pro certo spondere ausit Prooemium archae praefixum habuisse? Iam quaeritur, quid in hac Pollucis cum aliis antiquorum scriptorum testimoniis discrepantia statuendum sit. Pollux de Prooemio οὐδὲ γρῦ. Grammatici illi, e quibus Scholiastae ad Aristophanem et Suidas hauserunt, uni saltem Terpandri Nomo, Orthio in Apollinem, Prooemium, hominum memoria celebratissimum, tribuunt. Nobis quod in uno ex octo nomis Terpander fecit, etiam in aliis nonnullis eum fecisse, cum aliqua probabilitate colligere licebit. Quae cum ita sint, hanc Pollucis et ceterorum testium controversiam hunc in modum optime diiudicare poterimus, si dicamus: "Prooemium nomorum Terpandricorum cum Archa tam arcto vinculo coniunctum etiamtunc fuisse, ut nondum pro parte separata et tali, quae peculiari sua vi praedita esset, inter septem illas partes sollemnes numeraretur".

24. Quid de *Eparcha*, octava apud Pollucem parte, loco praepostero intrusa nostri temporis eruditi censuerint.

Sed hoc ipsum, quod hac nunc ratiocinatione invenimus, nondum extremum est, quo in hac quaestione progredi licet. Immo paullo etiam longius in earum tenebrarum recessus penetrare poterimus. In Pollucis enim illo loco, qui tam eximius est notitiae nostrae de nomorum arte fons, si accuratius eum et oculis omni studio intentis perscrutere, praeter septem partium notissima nomina octavi cuiusdam nominis vestigia paene delitescentia deprehendas: *Eparchae*. Post verba Poll. IV, 66 ἑπτά· ἀρχά in codice Palatino Heidelbergensi (C. ap. Bekkerum) sequitur: ἐπαρχεῖα. Analogia vocabuli in hoc indice proximi μεταρχά poscit, ut ἐπαρχά scribamus. Sed haec ἐπαρχά primo adspectu maxume

suspecta videri debet, primum quod septem tantummodo, non octo partes Pollux se prolaturum pollicetur; deinde quod inter archam et metarcham eparchae locus esse non potest, quoniam id vocabulum ingressum quendam in archam, partem archae praefixam, non archae postpositam significare patet, siquidem idem praepositionis ἐπί sensus est in compositis similibus, qualia sunt ἐπίγαμος, ἐπίτεξ, ἔπακμος.

Haec igitur Eparcha fieri non potuit quin multos sibi magni etiam nominis adversarios inveniret. Atque admodum de ea inclementer Bergkius, Hist. litt. Gr. II, p. 211 nota 29 init. iudicavit, qui non nauci esse hoc vocabulum arbitratur. Clementius paullulum iudicium Boeckhius tulit eo eximii operis sui loco, ubi Pollucis illud testimonium gravissimum (IV, 66) subtilius enarravit, de Metris Pindari pag. 182 not. 16. Boeckhius *Eparchae* nomen pro bono et electo artis vocabulo habet, quod ex tractatu longe alio in Pollucis locum illum intrusum sit; eparcham enim non nomi aliquam partem, sed ordinum rythmicorum praeludentem particulam duorum triumve pedum significare. *Mihi vero*, inquit, ἔπαρχα *videtur gemina lectio, ut* μέταρχα, *atque* ἐπαρχεῖα *ex varia lectione additum. Ceterum nos* ἐπάρχων *appellationem, qua plurium versuum compages nominatur in hoc nomo, traduximus ad versus ipsius initium.* Atque hoc sensu Boeckhius in Pindari metrorum enarratione eo vocabulo libenter et ubique utitur; cf. p. 184 med. p. 187 extr. p. 193 med. alia; quibus locis omnibus ut neutri generis plurale ἔπαρχα vocem usurpare solet. Sed haec omnia, quod tantorum virorum bona venia dixerim, parum probabilia sunt. Id unum egregie vidit Boeckhius, vocabulum ipsum ἐπαρχά (non ἔπαρχα) non temere fictum a librariis esse, sed eximum artis vocabulum in Pollucis illum indicem invita Minerva translatum.

25. Metacatatropae in locum post Omphalum traiectionem, rem prima specie parvam, re vera summi ad Nomorum structuram immutandam momenti fuisse. Inde Eparcham quoque, Archae quondam subiectam, sui iuris factam esse.

Iam quaeritur quid huic vocabulo, quasi transfugae ex alienis castris, faciendum sit. Quid est natura sua Eparcha? unde profecta in Pollucis indicem pervenit? Mihi, ut libere confitear, hae duae quaestiones, primo adspectu intricatiores, re vera tam difficiles ad expediendum non videntur. Primum Eparcham ipsum nomen indicat nihil aliud esse, quam id, quod "prooemium" postea vocatum est. Nomorum prooemium vetustissimis temporibus ἐπαρχά appellatum est, ea sine dubio de caussa, quod, quemadmodum supra § 23 extr. copiose demonstratum est, in antiquissima nomi forma prooemium seu eparcha pro separata parte non numerabatur. Prooemium archae praeludium erat, pars archae praenuntia, quare illis temporibus nullo nomine peculiari, sed vocabulo ad archam spectante: ἐπαρχά nuncupatum est. Quae cum ita sint, in Pollucis illo partium nomi indice, qui septem partes separatas et seiunctas affert, ab initio eparcha locum habere non potuit.

Sed unde in hunc indicem delata est? Haec quaestio cum altera illa quaestione gravissima cohaeret, a qua disputandi initium fecimus. Vidimus supra in Pindari omnibus carminibus Metacatatropam ex sede, quam olim habuerat, ante omphalum in proximum post omphalum locum transpositam esse. Quid inde secutum sit, iamiam luculenter apparet. Metacatatropa traiecta duae partes dimidiae carminum magis exaequabantur: prioris partis ante omphalum principatus imminutus erat. Unum vero, quod inde effectum est, gravissimum fuit. Cum Catatropa supplementum suum, Metacatatropam, amisisset, fieri vix potuit quin Metarchae post Archam pondus magis magisque elevaretur eum in modum, ut pedetemptim progrediendo pro separata et aequa cum ceteris parte iuxta Archam non iam numeraretur. Ut brevi dicam: Metacatatropa transposita Metarcha quoque, responsione sua carens, propriam illam et peculiarem sibi vim amisit et pars quaedam inferior, in archae patronatum et tutelam dedita, facta est. Quare apud Pindarum metarcha qualis est in carmine Pyth. VIII pro separata parte nequaquam numeratur. Postremo effectus ille Metacatatropae transpositae et Metarchae pondere suo peculiari privatae usque ad Archae praeludium illud manavit et penetravit, cui olim Eparchae nomen fuisse vidimus. Haec Eparcha, cum antea Archae subdita tantum fuisset, nunc post illas, quas enarravimus mutationes, sui quodammodo iuris facta est et iam pro parte nomorum separata et soluta numerari coepta est. Haec omnia ita facta esse Pindaricorum carminum forma nos edocet, quae, modo accurate et subtiliter consideretur, dici vix potest, quantam nomorum historiae lucem adferat.

26. In Pollucis IV, 66 loco, e Iuba, intercedente Iuba ex Heraclide Pontico hausto duorum Nomi generum sollemnia vocabula praepostero scriptoris studio conglutinata esse.

Iam si eorum quae disputavimus summam colligamus, facile illud expeditu erit, qua ratione in Pollucis IV, 66 indicem Eparchae mentio pervenerit. Pollux apud auctorem suum Iubam, Mauretaniae regem, ex cuius θεατρικῇ ἱστορίᾳ ingentem messem in horrea sua compilator ille congessit, qua de re elegantissime exposuit Ervinus Rhode, de Pollucis fontibus pag. 33 et 72, Pollux igitur apud Iubam amborum nomi generum, et veteris Terpandrici et recentioris eius, quo Pindarus usus est, descriptionem et partium sollemnium indices invenerat. Ac priorem quidem integrum Pollux descripsit et apposuit. Alterum illum describere operae pretium non arbitratus est, quoniam quanti haec duorum indicum differentia facienda esset, homo, qui haec non in aurificis statera, sed in populari trutina penderet, haud satis perspiciebat. Quare officio satisfecisse sibi visus est, si illam potissumum rem, qua posterior nomorum forma a priore discreparet, notandam curasset. Iam hoc illi consideranti et reputanti fieri non potuit, quin Eparchae et Metarchae nomina, quorum hoc in solo priore, illud in solo posteriore scriptum esset, occurrerent oculosque eius in se converterent. Prioris enim

indicis haec species erat: ἀρχά. μεταρχά. κατατροπά. μετακατατροπά. ὀμφαλός. σφραγίς. ἐπίλογος. Posterioris, in quo post Metacatatropam traiectam Metarcha vi sua peculiari privata, Eparcha contra ad membri soluti et seorsum constituti dignitatem evecta est. hic partium ordo fuit: ἐπαρχά, ἀρχά, κατατροπά, ὀμφαλός, μετακατατροπά, σφραγίς, ἐπίλογος.

Pollux igitur quid haec partium diversitas sibi vellet, haud satis perspiciens eam haud dubie pro artis citharoedicae copiis suis luxuriantis lusu quodam habuit. Quare in una ea re se continuit, ut ex posteriore indice Eparcham delibaret eamque loco infelicissimo iuxta Metarcham insereret, eo haud dubie errore captus: Eparcham in altero nomorum genere ad compensandam Metarchae iacturam substitutam esse. Quare inter Eparchae et Metarchae nomina apud Pollucem ἤ particulam excidisse crediderim, cum Pollux alteram in alterius locum quasi suffectam opinaretur. Ceterum Pollucis perversa scribendi ratio ea fortasse re excusari potest, quod non tam indicare voluit, alteram pro altera prout citharoedis libuisset, substitui licuisse, quam ad pondus illud, quod dimidia carminis pars ante omphalum sibi poscebat, explendum utramvis aeque aptam et idoneam fuisse.

Tam tenuia hercle et evanescentia interdum illa vestigia sunt, quibus utendum tamen est ad abditos antiquitatis thesauros reperiendos.

SCHOLAE

SECVNDVM ORDINES DISCRIPTAE

I. ORDINIS THEOLOGORVM CATHOLICORVM

Professores ordinarii

ANDREAS MENZEL Dr. *Publice* I. Apologeticen tradet bis p. h. h. IX. *Privatim* II. Theologiae moralis partem I tractabit quater p. h. h. IX.

FRANCISCVS HENRICVS REVSCH Dr. *Publice* I. Theologiam liturgicam docebit ter p. h. h. XI. *Privatim* II. Vaticinia Messiana enarrabit quater p. h. h. X.

IOSEPHVS LANGEN Dr. *Publice* I. S. Pauli ad Thessalonicenses epistolas explicabit semel p. h. h. XI. *Privatim* II. S. Marci Evangelium interpretabitur ter p. h. h. XI. III. Historiae ecclesiasticae partem III enarrabit quinquies p. h. h. XII.

HVBERTVS THEOPHILVS SIMAR Dr. *Publice* I. De Ecclesia Christi tractabit dieb. Mart. et Ven. h. X. *Privatim* II. Theologiae dogmaticae p. II tradet sexies p. h. h. VIII. *Privatissime et gratis* III. Exercitationes catecheticas moderabitur die Lun. h. V.

CAROLVS HENRICVS KELLNER Dr. *Publice* I. Patrologiam antenicaenam docebit bis p. h. h. III et IX. *Privatim* II. Historiam ecclesiasticam enarrabit quinquies p. h. h. IX. III. Librum sapientiae interpretabitur semel p. h. h. III.

FRANCISCVS KAVLEN Dr. *Publice* I. Exercitationes Hebraicas instituet bis p. h. h. XII. *Privatim* II. Introductionem in singulos Sacrae Scripturae libros faciet quater p. h. h. IV. III. Theologiae pastoralis partem alteram docebit ter p. h. h. XII. *Privatissime* IV. Exercitationes homileticas moderari perget semel p. h. h. XII.

II. ORDINIS THEOLOGORVM EVANGELICORVM

1. *Professores ordinarii*

GVILELMVS LVDOVICVS KRAFFT Dr. *Publice* I. Hymnologiam ecclesiasticam docebit bis p. h. die Saturni h. IX et X. *Privatim* II. Historiae ecclesiasticae partem alteram usque ad finem saeculi XVI enarrabit quinquies per h. h. X.

GVILELMVS IVLIVS MANGOLD Dr. *Publice* I. Pauli epistolam alteram ad Corinthios datam explicabit semel p. h. die Sat. h. XI. *Privatim* II. Pauli epistolam ad Corinthios datam priorem quaternis p. h. scholis interpretabitur h. XI d. Lun. Mart. Iov. Ven. III. Historiam dogmatum enarrabit quaternis scholis p. h. h. XII d. Lun. Mart. Iov. Ven.

ADOLPHVS HERMANNVS HENRICVS KAMPHAVSEN Dr. *Publice* I. Seminarii regii exercitationes ad Vetus Testamentum spectantes moderari perget. *Privatim* II. Iesaiae librum explicabit d. Lun. Mart. Iov. Ven. h. IX.

THEODORVS CHRISTLIEB Dr. theol. et phil. *Publice* I. Recentiorum philosophorum de religione et deo notiones exponere perget semel die Iov. h. IV. II. Exercitationes seminarii regii tam homileticas quam catecheticas moderari perget. *Privatim* III. Epistolam priorem ad Timotheum praemissa introductione in epistolas, quae dicuntur pastorales, explicabit bis d. Mart. et Iov. h. IX; denique IV. Artem homileticam docebit ter dieb. Lun. Merc. Ven. h. IX.

GVILELMVS FRIDERICVS BENDER Dr. *Publice* I. Seminarii exercitationes ad historiam dogmatum spectantes moderari perget. *Privatim* II. Historiam theologiae reformatae enarrabit ter dieb. Mart. Iov. Ven. h. XI. III. De religionis christianae natura atque indole disseret bis dieb. Mart. et Iov. h. X.

LVDOVICVS LEMME Dr. *Publice* I. De haeresibus et partibus variis protestantismi disseret semel p. h. die Ven. h. IV. *Privatim* II. Theologiam apologeticam docebit quinquies per h. h. X. III. Theologiam ethicam docebit quinquies per h. h. XI.

2. *Professores extraordinarii*

CAROLVS BENRATH Dr. *Publice* I. Capita selecta ex Augustini 'De Civitate Dei' libris legenda proponet semel p. h. h. p. i. *Privatim* II. Historiae ecclesiasticae partem I exponet quinquies p. h. h. XII.

CAROLVS BVDDE Dr. *Privatissime et gratis* I. Exercitationes hebraicas instituet bis p. h. dieb. Mart. et Ven. h. V. *Privatim* II. Introductionem in Vetus Testamentum docebit quinquies p. h. h. VIII.

3. *Privatim docens*

FRIDERICVS SPITTA theol. Lic. *Gratis* I. Doctrinam duodecim apostolorum interpretabitur, semel d. Merc. h. IX. *Privatim* II. Artem liturgicam docebit, bis d. Merc. XI et XII.

III. ORDINIS IVRECONSVLTORVM

1. *Professores ordinarii*

HVGO HAELSCHNER Dr. *Publice* I. Ius publicum imperii Germanici exponet diebus Lun. et Iov. h. XII. *Privatim* II. Ius poenale germanicum quinquies h. X docebit. III. Ius publicum germanicum tradet quinquies h. XI.

IOANNES FRIDERICVS DE SCHVLTE Dr. *Privatissime et gratis* I. In Seminario regio exercitationes iuris canonici exegeticas moderabitur die Lun. h. V et VI. *Privatim* II. Historiam iuris et imperii germanici tradet quinquies h. XII.

GVILELMVS ENDEMANN Dr. *Publice* I. Ius cambiorum, die Merc. h. XI—I. *Privatim* II. Ius mercaturae et maritimum quater h. XI. III. Processum criminalem quater h. XII.

AVGVSTVS BECHMANN Dr. *Publice* I. Introductionem in Pandectas sive de iure quod dicitur obiectivo, die Sat. h. X. *Privatim* II. Pandectarum partem priorem quinquies h. IX et X. III. Processum civilem Germanicum quater hora XII docebit.

HERMANNVS HVEFFER Dr. *Publice* I. Ius matrimoniorum bis p. h. diebus Lun. et Iov. exponet. *Privatim* II. Ius ecclesiasticum catholicorum et evangelicorum quater aut quinquies p. h. diebus Lun. Mart. Merc. Iov. Ven. h. III docebit.

CONRADVS HVBERTVS HVGO LOERSCH Dr. *Publice* I. Ius coniugum in eorum bona secundum ius Germanicum exponet semel d. Merc. h. III. *Privatim* II. Ius privatum Germanicum cum iure feudali docebit sexies h. IX. III. Ius francogallicum civile quod in terris Rhenanis viget tradet quater dieb. Lun. Mart. Iov. Ven. h. X.

ERNESTVS ZITELMANN Dr. *Privatissime et gratis* I. In seminario regio societati iuris Romani praeerit die Ven. h. IV et V. *Privatim* II. Institutiones et historiam iuris Romani interiorem docebit quaternis diebus h. XI et XII. III. Exercitationes iuris civilis practicas instituet die Merc. h. XII et die Sat. h. XI et XII.

2. *Professores extraordinarii*

ALFREDVS NICOLOVIVS Dr. scholas non habebit.

RVDOLFVS KLOSTERMANN Dr. *Publice* I. Ius praediatorium exponet die Merc. h. IX. *Privatim* II. Ius civile Borussicum quater d. Lun. Mart. Iov. Ven. h. IX.

3. *Privatim docentes*

PAVLVS IOERS Dr. *Gratis* I. Legis XII tabularum fragmenta interpretabitur semel die Sat. h. XII. *Privatim* II. Historiam iuris Romani exteriorem docebit ter diebus Merc. h. XI et XII, Sat. h. XI.

ERNESTVS LANDSBERG Dr. *Gratis* I. De delictis iuris criminalis Germanici in singulos homines commissis disseret die Mart. h. IV et V. *Privatim* II. Pandectarum partem alteram, i. e. ius familiare atque ius hereditarium, tractabit diebus Mart. Merc. Iov. Ven. h. XI.

IV. ORDINIS MEDICORVM

1. *Professores ordinarii*

GVSTAVVS VEIT Dr. *Publice* I. Gynaecologiae partem d. Iov. h. V tradet. *Privatim* II. Artem obstetriciam senis diebus h. VIII docebit. III. Exercitationes practicas in clinico gynaecologico quotidie h. XII moderari perget.

FRANCISCVS DE LEYDIG Dr. *Publice* I. De animalium vertebratorum sceleto disseret die Ven. h. IV. *Privatim* II. Zoologiae synopsin docebit diebus Mart. Merc. Iov. h. IV. III. Exercitationes zoologicas instituet die Lun. h. X—XII. *Privatissime et gratis* IV. Quaestiones de rebus zoologicis instituendas moderabitur quotidie h. p. st.

EDVARDVS PFLVEGER Dr. *Publice* I. Seminarium physiologicum quotidie moderari perget. *Privatim* II. Physiologiae specialis partem alteram i. e. vegetativam d. Lun. Mart. Merc. Iov. Ven. h. IX docebit.

HVGO RVEHLE Dr. *Publice* I. De morbis hepatis disseret semel d. Ven. h. XII. *Privatim* II. Pathologiam et therapiam specialem tradet quinquies h. XII. III. Clinicum et policlinicum medicum moderabitur quotidie h. X$^{3}/_{4}$—XII.

CAROLVS KOESTER Dr. *Privatissime et gratis* I. Laboratorium pathologicum moderabitur quotidie. *Privatim* II. Anatomiam et physiologiam pathologicam specialem quinquies h. V docebit. III. Cursum demonstrativum anatomiae pathologicae cum exercitationibus rite obducendi cadavera ter h. II—IV instituet.

THEODORVS SAEMISCH Dr. *Publice* I. De ratione mutua inter corporis et oculi morbos d. Iov. h. VI disseret. *Privatim* II. Clinicum ophthalmiatricum moderabitur ter diebus Lun. Mart. Ven. h. VIII. III. Cursum ophthalmoscopicum instituet d. Merc. h. II et III. IV. Cursum operationum in oculo instituendarum habebit d. Ven. h. II.

CAROLVS BINZ Dr. *Privatissime et gratis* I. Laboratorium pharmacologicum quotidie h. p. st. moderari perget. *Privatim* II. Pharmacologiae experimentalis p. I. tradet d. Lun. Merc. Iov. h. III. III. Toxicologiam experimentalem exponet semel d. Mart. h. III.

ADOLPHVS DE LA VALETTE ST. GEORGE Dr. *Privatissime et gratis* I. Laboratorium anatomicum moderari perget una cum NVSSBAVM P. E. quotidie h. IX—IV. *Privatim* II. Anatomiam specialem docebit sexies p. h. h. VIII. III. Exercitationes anatomicas una cum NVSSBAVM P. E. prosectore moderabitur quotidie h. IX—IV.

FRIDERICVS TRENDELENBVRG Dr. *Publice* I. Akiurgiae capita selecta tradet semel d. Merc. h. VI. *Privatim* II. Clinicum et policlinicum chirurgicum moderabitur quotidie h. IX—X$^{3}/_{4}$.

2. *Professor ordinarius honorarius*

WERNERVS NASSE Dr. *Privatim* Clinicum psychiatricum moderabitur d. Sat. h. II$^{1}/_{2}$—IV$^{1}/_{2}$.

3. *Professores extraordinarii*

HERMANNVS SCHAAFFHAVSEN Dr. *Publice* I. Anthropologiam docebit dieb. Lun. et Iov. h. III. II. Physiologiam generalem dieb. Mart. et Ven. h. III explicabit. *Privatim* III. Pathologiam generalem tradet dieb. Lun. Iov. et Ven. h. XII.

IOSEPHVS DOVTRELEPONT Dr. *Publice* I. De morbis cutis aget d. Merc. h. IV. *Privatim* II. Clinicum et policlinicum morborum cutis et syphiliticum moderabitur d. Merc. et Sat. h. XII.

CAROLVS FINKELNBVRG Dr. *Publice* I. Climatologiam semel tradet d. Merc. h. V. *Privatim* II. Hygieinen quater dieb. Lun. Mart. Iov. Ven. h. V.

CAROLVS DE MOSENGEIL Dr. *Publice* I. Selecta capita chirurgiae die Iov. h. IV. *Privatim* II. Chirurgiam specialem diebus Merc. et Iov. h. VIII.

MAVRICIVS NVSSBAVM Dr. *Publice* I. Laboratorium anatomicum moderari perget una cum DE LA VALETTE ST. GEORGE P. O. quotidie h. IX—IV. II. Anatomiam systematis urogenitalis tractabit semel h. p. i. *Privatim* III. Exercitationes anatomicas una cum DE LA VALETTE ST. GEORGE P. O. quotidie instituet h. IX—IV. IV. Anatomiam topographicam docebit d. Lun. et Ven. h. III.

DITTMARVS FINKLER Dr. *Publice* I. Laboratorium clinicum quotidie moderabitur horis statuendis. II. Pathologiam et therapiam generalem tradet semel d. Merc. h. IV. *Privatim* III. Propaedeuticen clinicam quinquies dieb. Lun. Mart. Iov. Ven. Sat. h. IV.

FRIDERICVS FVCHS Dr. *Publice* I. De principiis generalibus philosophiae naturalis disseret semel h. p. i. *Privatim* II. Iatrophysices capita selecta tradet bis h. p. i.

HVGO RIBBERT Dr. *Publice* I. Anatomiam pathologicam specialem apparatus circulationis h. p. st. *Privatim* II. Cursum histologiae pathologicae quater dieb. Mart. et Ven. h. II et III. III. De tumoribus die Mart. h. VI.

HENRICVS WALB Dr. *Publice* I. Otologiae selecta capita tradet semel die Merc. h. V. *Privatissime et gratis* II. Policlinicum otiatricum moderari perget dieb. Ven. et Sat. h. III. III. Studia in laborat. clinico reget quotidie hor. post. ind.

4. *Privatim docentes*

IOSEPHVS KOCKS Dr. *Gratis* Cursum operationum obstetriciarum quater instituet hor. post st.

CAROLVS BVRGER Dr. *Gratis* I. De morbis narium et laryngis capita selecta tractabit semel. *Privatim* II. Cursum laryngoscopiae et rhinoscopiae habebit bis. *Privatissime et gratis* III. Policlinicum morborum narium et laryngis moderabitur quotidie.

SIGFRIDVS WOLFFBERG Dr. *Privatim* I. Cursum disquisitionum aquarum bibendarum instituet semel die Sat. h. II et III. *Privatissime et gratis* II. Colloquium et studia hygienica moderabitur semel h. p. st.

GVILELMVS KOCHS Dr. *Gratis* I. De cerebri structura et functionibus semel d. Ven. h. XI. *Privatim* II. Repetitorium partium selectarum physiologiae bis h. p. st.

THEODORVS RVMPF Dr. *Gratis* I. De morbis medullae spinalis semel h. p. st. II. De ratione mutua inter nervorum et corporis morbos semel h. p. st. *Privatim* III. Exercitationes neuropoliclinicas cum Electrotherapia bis h. VIII. *Privatissime et gratis* IV. Laboratorium neurologicum quotidie h. p. st.

AEMILIVS VNGAR Dr. *Gratis* I. Medicinae forensis partem biologicam commilitonibus iuris studiosis explicabit semel. *Privatissime et gratis* II. Policlinicum infantum moderabitur bis d. Mart. h. II et Ven. h. III.

OSCARVS WITZEL Dr. *Gratis* I. Orthopaediam docebit semel h. p. st. *Privatim* II. Chirurgiam specialem tradet bis d. Mart. et Iov. h. IV. III. Artem fasciarum adplicandarum docendo et exercendo tradet d. Lun. h. VI, Ven. et Sat. h. p. st.

DITERICVS BARFVRTH Dr. *Gratis* De situ viscerum aget semel die Veneris h. IV.

GEORGIVS KRVKENBERG Dr. *Gratis* I. De pelvi angusta disseret d. Sat. h. VIII. *Privatim* II. Cursum operationum obstetriciarum instituet d. Lun. et Ven. h. IV. III. Therapiam gynaecologicam generalem docebit d. Ven. h. III.

IOANNES PRIOR Dr. *Gratis* I. De respiratoria therapia cum exercitationibus disseret semel die Merc. h. V. *Privatim* II. Constitutionis morbos tradet bis die Lun. h. V et die Ven. h. IV. *Privatissime et gratis* III. Consultatorium policlinicum ad modos medicorum percipiendos, quatenus aegroti suppetant, quotidie, seposita una ad colloquia habenda hora die Sat. h. V.

V. ORDINIS PHILOSOPHORVM

I. *Professores ordinarii*

IOANNES GILDEMEISTER Dr. *Publice* I. Linguae arabicae elementa tradet usurus grammatica Casparii ab A. Muellero retractata d. Lun. Merc. Iov. h. II. *Privatim et gratis* II. Lectiones syriacas continuabit d. Mart. Ven. h. II. *Privatissime et gratis* III. Scriptores Arabes tractabit d. Lun. Iov. h. XI. IV. Hamâsam proponet d. Mart. Ven. h. XI.

PETRVS KNOODT Dr. *Publice* I. Cartesii philosophiam critice tractabit d. Mart. et Iov. h. IV. *Privatim* II. Logicam d. Lun. Mart. Merc. Iov. et Ven. h. III.

ERWINVS NASSE Dr. *Publice* I. De mensis publicis disseret semel die Merc. h. V. *Privatim* II. Oeconomiam publicam generalem quater vel quinquies h. IV docebit. *Privatissime et gratis* III. Exercitationes oeconomicas moderabitur semel die Mart. h. VI et VII.

RVDOLPHVS CLAVSIVS Dr. *Publice* I. Seminarii regii physici exercitationes physicas moderari perget semel p. h. d. Iov. h. VIII. *Privatim* II. Physices experimentalis partem dimidiam i. e. acusticen, opticen, magnetismi et electricitatis theoriam tradet quater p. h. d. Lun. Mart. Iov. Ven. h. X. III. Elasticitatis theoriam docebit bis p. h. d. Mart. et Ven. h. VIII.

FRANCISCVS BVECHELER Dr. *Publice* I. Seminarii philol. sodalibus ordinariis satirarum lat. poetas commentandos proponet d. Ven. h. V et VI. *Privatim* II. De linguae latinae vocibus et vocabulorum figuris disseret d. Lun. Mart. Iov. Ven. h. XI. *Privatissime* III. Exercitationes epigraphicas instituet d. Lun. h. VI.

HERMANNVS VSENER Dr. *Publice* I. Seminarii philologici sodalibus ordinariis Philippi Epinomidem tractandam proponet d. Mart. h. V—VII. *Privatim* II. Litterarum Graecarum historiam enarrabit d. Mart. Merc. Iov. Ven. h. XII.

RVDOLPHVS LIPSCHITZ Dr. *Publice* I. In Seminario mathematico de functionum periodis disseret d. Merc. et Sat. h. XI. *Privatim* II. Mechanicen analyticam docebit d. Lun. Mart. Iov. Ven. h. IV. III. Geometriae analyticae elementa exponet d. Lun. Mart. Iov. Ven. h. V.

